

nostram justitiam eum tamen constrinximus, quod A et ipse ab hac injuria cessavit, subadvocatos et ministros corripuit. Pro hac igitur correctione et emendatione prædicti cœnobii Wasco abbas, et sui fratres, nostro et omnium consilio, et ejusdem comitis, ut firma et rata esset, et ut deinceps eos comes, nec eorum successores inde inquietarent, quasdam villas quæ erant ad præbendam corun, comiti in perpetuum tradiderunt, ut amodo ipse comes nec subadvocati vel ministri ullam tamen vel exactionem vel inquietationem eidem ecclesiae vel rusticis ejus inferrent seu facerent; si vero rustici eorum rebelles contra eos existerent, vel ad justitiam venire recusarent, prædictus comes per abbatem vel per fratres commonitus, illuc veniret, et abbas in nocte solvendo eum cum suis, procuraret in nocte et in die subsequenti de rusticis justitiam facere, et de justitiis abbatii duas partes, tertiam comes haberet, et his contentus esset, cætera vero ecclesiae beneficia et annalia servitia abbas et fratres in perpetuum posiderent, et sine aliqua inquietatione libere et pacifice haberent. Nomina villarum Walo, quæ est juxta

Morspec castrum in Elisacia, juxta Humburo; Ropac villam apud Jugeswile, quatuor mansos juxta Salrab, Cundici cum ecclesia villam juxta Bozonis-villam. Itemque Ostingam villam et novem mansos apud Altor, juxta Tannæ-villam, et unum mansum apud Hlinkingam-villam. Hæc omnia sicut in præsenti scripta esse videntur, ita autoritate beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum et Sanctarum, et nostra confirmamus atque roboramus, ut nullus comes vel advocatus, sive aliqua persona, vel homo, hanc chartam audeat violare, infringere atque mutare, sed firma et stabilis semper usque in hodiernum diem permaneat, omnesque qui hanc violare vel contraire tentaverint, iram Dei et maledictionem, et nostram excommunicationem B incurvant. *Sign.* Boterti advocati. *Sig.* Sigibaldi. *Sig.* Liepbridii archidiaconi. *Sig.* Manfridi archidiaconi. *Sig.* Helimanni decani *Sig.* Bencenis prepositi. *Sig.* Ottonis præpositi. Actum hoc anno 29 a regnante Carolo glorioso Rege, sub die 13 M. Junii. *Subsignatum.* Ego Allo notarius scripsi et Christophorus Thilman.

\* Forte 19, nam annus 29 Caroli Magni incidit in annum Christi 797, quo anno Angilramnus vivere desierat.

ANNO DOMINI DCCXC.

## WICBODUS.

### NOTITIA HISTORICA IN WICBODUM.

[Ex Fabrieo, Biblioth. med. et inf. Latinitatis.]

Wicbodus, cuius Quæstiones in Octateuchum in codice sancti Maximi Trevirensis invenerunt, in tria vero tantum Geneseos capita ediderunt Martene et Durand Collect. Ampliss. IX, 293, dubium est quis fuerit. Sub initium codicis exstant haec verba: *Carolus rex Francorum et Longobardorum ac patricius Romanorum, hunc codicem ad opus suum scribere jussit.* An igitur Wigbaldus ille sit, Caroli Magni sub Itherio et Radone archicancellarius notarius; an Widbaldus, quem teste Astronomo, idem princeps circa an. 778 præfecit Petragoricis, incertum est.

C Opus autem ex dictis sanctorum Patrum, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Isidori, Eucherii, Junilii contextum est, quorum verba retinuit. Et quia maxima Geneseos pars purum Hieronymi ut Isidori textum fere exprimit, sequentes vero libri unus Isidorum exhibent, plura duumviri laudati edere noluerunt. Ipse tamen codex usui esse potest illis qui futuro tempore Hieronymi et Isidori Opera denuo recensebunt. Ad Historiam litterariam Galliae, tom. IV, p. 177.

## VICBODI QUÆSTIONES IN OCTATEUCHUM.

*Ex pervetusto codice Trevirensis S. Maximini monasterii.*

(Marten., ampl. Coll. conc.)

### OBSERVATIO PRÆVIA.

Wighodi Quæstiones in Octateuchum exhibeo, de scriptas ex pervetusto codice Trevirensis sancti Maximini monasterii, cuius in fronte hæc leguntur: *Carolus rex Francorum et Longobardorum, ac patri-*

*cus Romanorum, hunc codicem ad opus suum scribere jussit.* (Quæ religiosi principis summa fuit in res sacras propensio.) Auctor illarum Wicbodus, seu Wigbaldus, sive sit ille Wigbaldus Caroli Magni

sub Itherio et Radone archicancellariis notarius, sive Widbaldus, quem, teste Astronomo, idem princeps circa annum 778 præfecit Petragoricis, sive quispiam alias, ex dictis sanctorum Patrum, maxime Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Isidori, Eucherii, Junilii opus suum contexuit, quorum verba aliquando pura et nuda uno tenore transcribit, nonnunquam dispersa variis in locis colligit in unum, aliquoties vero non verba, sed mentem illorum exprimit. Hinc conjiciebam conjicientque mecum viri eruditii omnes, quanto opus illud haberi

A deberet in pretio, quod jubente tam eximio principe ad ejus usum descriptum fuerat, totque atque tantorum Ecclesiæ doctorum expositiones Scriptura representabat. Verum cum illud non indiligeretur examinassem, animadverti maximam Geneseos partem nonnisi purum Hieronymi atque Isidori textum fere exprimere, sequentes vero libros unum exhibere Isidorum. Quapropter tanti non existimavi integrum hic opus dare. Sed eruditis forte lectoribus haud injucundæ erunt Quæstiones in prima Genesis capita.

CAROLUS REX FRANCORUM ET LONGOBARDORUM  
AC PATRICIUS ROMANORUM  
HUNC CODICEM AD OPUS SUUM SCRIBERE JUSSIT.

LAUS REGIS.

*ALLOCUTIO AD LIBRUM.*

Quis digne indoctus metrorum versibus unquam  
Rusticus explanet cujus præconia passim  
Latus concelebrat sub cœli cardine mundus,  
Cujus ad imperium meruistis ordo a carere,  
Et capere nitidam longo post tempore pallam;  
Cooperis ut limen aulæ regalis adire,  
Atque auro rutilo radiantem cernere sedem?  
Incipe quamprimum largas persolvere grates,  
Errorum quod nube cares, correctus haberis.  
Dein prostratus veniam deposce precatu,  
Lautorisque tui sollers patronus adesto.  
b

Asperi aut impressa manus tenuando polivit.  
En habes in promptu, o rex, quod jusseras olim,  
Suscipte, et o felix multos utaris [utare] per annos.

EPIGRAMMA OPERIS SUBSEQUENTIS.

O quam magna tua clarent præconia laudis,  
Rex Carole, felix et notus in omnibus arvis.  
Finibus extremis tua maxime jussio pollet.  
Quis valet urbane laudes sermone polito  
Fari, magne, tuas, cœli sub culmine claras?  
Quis tua mixta canat mira pietate tropæa,  
Divitiasque tuas longo quis carmine pandat?  
Quis saltem poterit seriem enumerare librorum,  
Quos tua de multis copulat sententia terris?  
Sanctorum renovans Patrum conscripta priorum.  
Nam quidquid sacrum divina volumina verbis,  
Eloquo sensuque docent, quod prædicat ipse  
Antiquus mundi replicaus exordia vates,  
Seu ille historias texat, seu forte figuræ.  
Quod diversa retro multorum tempora regum  
Post Ruth succiduo gesserunt ordine magnum,  
Vel qui post reprobum Davidica regna Saulem  
Ter quinquagenos scripserunt carmine psalmos.  
Pacificus quidquid lata inter sceptra Salomon,  
Obscurum sensu præclara proverbia duxit,  
Quodque bis octoni post se videre prophetæ,  
Quod clausum Job mitis ait cum vulnere aperto.  
Esther quid memorem, et castæ mendacia Judith?  
Ornati cum fraude satraps accenditur oris,  
Cum manet illudens obscenum femina lectum,

\* Forte meruisse sorde.

B Desectoque feros compescit vertice visus.

Quod melius cernens cæcato in corpore Tobi,  
Quæ secreta videns perscrispit conditor Ezra,  
Quidquid post prisca succedens gratia legem  
Intonat, atque Novi miracula Testamenti.  
Hinc hominis clamat facies, ait, inde leonis,  
Et pernix aquila, et fortis certamine taurus.  
Inde quater terni puris quod mentibus agni  
Egerunt, toto spargentes semina munda.  
Bis septena pii quod spargit epistola Pauli,  
Quod Petrus Jacobusque, quod Judas et ipse  
Qui conspecta refert cœli secreta Joannes,  
Quin et veridici quæ plurima tractatores  
Exposuere suis mysteria digna libellis,  
Hæc tu cuncta tenens animo sitiente bibisti.

C Nec si quid sacrûm cecinere prophete

Te latet, agnoscis leges, et commata servas.  
Atque aliena tuo commendas carmina cantu.  
Quid totum replicem? tu sensibus utere doctis,  
Et quæ nota tibi vel quæ percepta legendi,  
Ad virtutis opus studio converte regali.  
At si de plebe quisquam livre perustus  
Dixerit, iste quis est veterum qui carmina mul,  
Inscribitque levis epigrammata vana libellis?  
Noverit hoc ipse quod nusquam culpa mutatur,  
Cum non velle valet et major jussio cogit.  
Denique jussa bona cum promulgantur agenda,  
Qui compleat sapiens, qui vult contemnere demens.  
Quod si Virgilius, et vatum summus Homerus,  
Censuram meruere novam post fata subire,

D Quam dat Aristarcus tua, Varrusque, Probusque.  
Cur dedignetur quod jussus priuice magno  
Parvula excerpti Mosaica carmina bibli  
Vuigbodus humili nucarum mole piavi.  
Hæc tibi rex summe jussu compulsus herili,  
Servulus, ut potui, devota mente dicavi.

Ratio vii dierum ordinatur.

Primus in orbe dies lucis primordia sumpsit.  
Alter splendifuis celum firmavit in oris.  
Tertius undivagum mare dat cum germe terre.  
Quartus habet phœbum lunamque et sidera cœli.  
Quintus plumigeras volucres piscesque natantes.  
Sextus quadrupedes reptans hominesque sagaces.

b Hic est spatium unius versus vacuum in ms.

Septimus est Domino r̄quies, his rite peractis.  
 Non quia cunctipotens humano more labore,  
 Actibus aut fessus quærat quiescere tandem  
 Qui semper requietus agit, faciensque quiescit.  
 Sed quod sacra quies typicis est operta figuris,  
 Multa gerat signis, et pandat mystica nobis.  
 Dicta Dei requies quod rebus jure creandis  
 Ipsa modus fuerit cunctis, et maxima finis.  
 Nam nova quæque flunt, jam tum ordinata proban-  
[tur]  
 Dicta Dei requies, quo Dominus ac redemptio Chri-  
[stus]  
 In carne veniens, ac carnis vincla resolvens,  
 Hoc redeunte die felici morte quievit,  
 Dicta Dei requies, quod nos post mille labores,

A Solus ubique fovere in se requiescere cogit.  
 Nec datur ulla quies miseris, nisi suscipit ipse.  
 Dicta quoque requies, mundana quod actio præsens  
 Post sex ætates quas mundus in ordine currit,  
 Otia percipiens æterna pace quiescit.  
 Dicta quoque requies, quæ nobis ultima sors est.  
 Nam vitæ cursus, mundana molis ad instar  
 Sex sunt ætates hominis, et septima mors est.  
 Prima tenet ortum generis infantia simplex,  
 Altera deinde pueritia mollis habetur,  
 Tertia quæ sequitur ipsa vocatur adulta,  
 Quarta gerit virtutis opem speciosa juventa,  
 Quinta senecta gravis et ultima tempora vergens,  
 Sexta venit senium quæ vitæ terminat ævum.

B *Explicit.*

## INCIPIT

# LIBER QUESTIONUM SUPER LIBRUM GENESIS

EX DICTIS SANCTORUM PATRUM AUGUSTINI, GREGORII, HIERONYMI, AMBROSI, HILARII,  
 ISIDORI, EUCHERII ET JUNILII.

**Discipulus.** Primo omnium, præceptor mi, inquiri  
 mihi necesse est, quis hujus libri, qui Genesis apud  
 nos dicitur, scriptor habeatur.

**Magister.** Sicut a majoribus nostris nobis insinuat-  
 um atque traditum est, Moysen hujus operis scri-  
 ptolem suis asserunt, id est quinque librorum qui,  
 juxta Græcos, Pentateucum nominantur, cum non  
 dicat hoc titulus, sed quasi de alio ipse refert : *Dixit  
 Dominus ad Moysen.* Cujus exemplum in Novo Te-  
 stamento Joannes apostolus, ubicunque de  
 se aliquid referre voluit, nomen suum studiose si-  
 luit, aiendo : *Conversus Petrus vidit illum discipulum  
 quem diligebat Jesus sequentem*, etc. (*Joan. xxi, 20.*)

**D.** Genesis unde hoc nomen accepit?

**M.** LXX etenim Interpretes, Symmachus et Theo-  
 dotion in principio transtulerunt, et in Hebreo scri-  
 ptum est *Bresith*, quod Aquila interpretatur in *capitu-  
 lo*. Et ideo secundum sensum magis quam secun-  
 dum verbi translationem, de Christo accipi potest,  
 qui tam in ipso fronte Geneseos, qui caput omnium  
 librorum est, quam in principio Joannis evangeliste,  
 cœli et terræ conditor approbatur. Unde et in Psal-  
 terio de seipso ait : *In capite libri scriptum est de  
 me* (*Psal. xxxix, 8*). Id est in principio Geneseos. Et  
 in Evangelio, *Omnia per ipsum facta sunt, et sine  
 ipso factum est nihil* (*Joan. i, 3*). Ideo sciendum  
 quod liber hic apud Hebreos *Bresith* vocetur, hanc  
 habentes consuetudinem ut voluminibus ex principi-  
 bus eorum nomina imponant.

*In libro prohemiorum.*

**D.** Genesis juxta fidem historiæ quæ describit?

**M.** Fabricam describit mundi et hominis conditio-  
 nem, cataclysmum et divisionem terræ, confusione-

quoque linguarum, gestaque omnium patriarcharum  
 usque ad ingressiōnem Israel in Ægyptum.

JUNILIUS.

**D.** Haec Scriptura, quæ de præsenti saeculo loquens  
 significet, nosse cupio.

**M.** Quinque : aut generationem ejus, id est crea-  
 tionem, aut gubernationem, aut accidentia naturis,  
 aut evenientia voluntatibus, aut subsequentes volun-  
 tatis eventus.

**D.** Quibus modis generationem sœculi haec Scri-  
 ptura signavit?

**M.** Tribus : aut enim sola Dei voluntate factum  
 aliquid scribitur, ut est : *In principio creavit Deus  
 cœlum et terram* (*Gen. i, 1*); aut voluntate simul et  
 voce sive præceptiva, ut est *fiat lux et fiat firmamen-  
 tum*; sive deliberativa, ut est *>Faciamus hominem  
 ad imaginem et similitudinem nostram*. Aut voluntate,  
 voce ac disflitione, ut est : *Crescite et multiplicamini  
 et replete terram*. Et iterum : *Germinet terra herbam  
 D virentem et ferentem semen juxta genus suum, et li-  
 gnum fructiferum faciens fructus cuius semen in ipso  
 sit*. Et cetera quæ post septimum diem usque in  
 finem seculi per partes operatur, ex illa enim defi-  
 nitione proveniunt.

**D.** Est in his tribus aliquæ differentia?

**M.** Est, quia ea quæ sola voluntate vel etiam voce  
 sunt facta, noviter facta sunt, quæ vero disflitione,  
 illis similia jam quæ facta noviter diximus. Et rursus  
 illa quidem in sex primis diebus; haec vero donec  
 sæculum stabit.

**D.** Da ordinem per sex dies factarum rerum?

**M.** In ipso quidem principio conditionis facta  
 sunt cœlum, terra, angeli, aer, aqua.

**D.** Proba angelos et aquas et aerem factum.

**M.** Facta quidem ex aliis Scripturæ locis ostenduntur, ut est : *Qui facit angelos suos spiritus* (*Psal. ciii, 4*) ; et : *Laudate eum, omnes angeli ejus* (*Psal. cxlviii*) ; et : *Aquæ quæ super caelos sunt laudent nomen Domini, quoniam ipse dixit et facta sunt* (*Ibid., vers. v*) ; et : *Quoniam ipsius est mare et ipse fecit illud* (*Psal. xcvi, 5*). Et aer in Scripturis sanctis coeli nomine solet ostendi, ut est : *volucres caeli*, cum certum sit aves in aere devolare. Cœlum autem ostendimus factum. Quod vero præcesserunt ista cæteras creaturas, in angelis, ut Scriptura demonstrat, dum in laudibus et benedictionibus creaturis cæteris præponuntur, est ratio ; oportuit enim ut terrenas cœlestis creatura præcesserit. De aquis vero ipsa Scriptura dicit, quod *Spiritus Dei ferebatur super aquas*.

**D.** Sequere ordinem generationis.

**M.** In principio diei primæ lux facta est, secunda vero factum firmamentum, tertia mare et terræ nascentia, quarta luminaria cœli, quinta natantia et volatilia, sexta reliqua animalia et homo.

**D.** Quæ est in ipsarum creaturarum operatione distantia?

**M.** Quod quædam ex nihilo facta sunt, ut cœlum, terra, etc., quæ usque ad completum primum diem diximus facta, quædam vero ex jam factis primo die.

**D.** Da horum probationes.

**M.** Quoties Scriptura ex aliquo factas res capit ostendere, aut palam significat, ut est *producat terra et producant aquæ et similia* : aut certe ex subtili significatione verborum, ut cum dicit, *fiat firmamentum*, utique significat fuisse aliquid fluidum ac liquidum, id est aquas, quæ ut solidas ostenderentur, firmamentum vocatum est, quod fiebat. Et rursus luminaria derivative appellavit, quæ quarta die facta fuerunt, ut ex lumine primo die operato, facta monstraret. In his autem quæ primo die facta sunt, neque aperite neque subtili verbo factum aliquid declaratur ex altero. Nihil enim post primum diem ostenditur ex non existentibus factum, sola hominis anima; in quo et hoc attendendum, quia cum alia aut ex nihilo, aut ex jam factis facta sunt, solus homo ex utroque componitur.

**D.** Quas alias creaturis ascribimus differentias?

**M.** Quod ea quæ primis sex diebus facta sunt, non naturaliter, nec ex similitudine provenerunt. Reliqua vero quæ sunt, naturaliter ex divina definitione nascuntur, exceptis scilicet miraculis.

**D.** Da tertiam differentiam.

**M.** Quod creaturarum aliquæ, id est rationales propter seipsas factæ sunt, ut angeloi et homines : reliqua vero non propter se, sed propter prædictos angelos aut homines facta esse noscuntur : homo vero principaliter secundum animam propter se intelligendus est factus, nam secundum corpus consequenter.

**D.** Quid enim, præter angelos et homines aliæ creaturæ seipsis invicem non egebant?

**M.** Egebant quidem, non ad utilitatem, sed ad ornatum, utilia enim non sibi, sed angelis et ho-

**A** minibus sunt, pro quibus etiam facta esse noscuntur. Ornatum vero etiam invicem præstant, quippe et cœlum inornatum sine coelestibus luminaribus fuit, et luminaria ipsa ne superflue facta essent, videntium oculis indigebant. Et mare inornatum, donec aut locum suum repperit, aut animalibus impleretur. Et terra incomposita præter habitantium vel nascentium usum, et irrationalia animalia sine hominis regimine inepta, herbe absente animalium usu superflue. Ita omnia eguerunt invicem, vel his quæ quotidie sunt. Sed ut jam diximus, aliud est esse incompositum, aliud utile; incompositum enim aliquid per se utile alteri declaratur.

**D.** In ornamento ipso aliqua est differentia?

**M.** Est : nam aliqua in sex diebus ornata sunt, ut cœlum luminaribus, et terra herbis, et piscibus mare: quædam vero donec mundus vivit ornatur, ut mare navigiis, et terra ædificiis et cæteris quæ humano construuntur ingenio, et homo ipse scientia. Quædam vero decorum suum in futuro recipient, ut corpus incorruptionem, et mortalia immortalitatem, et celeste regnum habitationem sanctorum. Notandum autem in ornamentis, quod eorum quæ vel ingenio vel artibus sunt, in hominibus causa est, reliquorum autem in Domino.

**D.** Da quartam differentiam.

**M.** Quod quædam simul et velut subito creta emiserunt, ut herbe, luminaria, natantia et volatilia, necnon terrena animalia et quadrupedia. Quædam vero non simul, sed velut cum quadam mora, ut mare, terra, homo; et ipse enim paulatim factus scribitur, sicut et cetera.

**D.** Da quintam creaturarum differentiam.

**M.** Quod quædam eorum ratione ceteris presunt, ut rationalia; quædam vero usui habentur, ut cœlestia luminaria, quædam naturæ necessitate obsequuntur, ut aves et quadrupedes et his similia.

**D.** Da sextam differentiam.

**M.** Quod ea quæ ceteris presunt, id est rationalia, voluntate ac ratione moventur; quæ vero irrationalia sunt, aut necessitate obsequuntur, aut natura moventur.

**D.** Ea quæ ex aliquo facta sunt, quod materias habuerunt?

**M.** Sex, terram, aquas, aerem, ignem, lumen, costam.

**D.** Da singulis origines suas.

**M.** Ex terra virentia plantaria, et animalia. Ex aquis firmamentum, mare, natantia, et volatilia. Simil autem ex terra, aquis, igne et aere omnia quæ per successiones temporum renovantur. Ex lumine luminaria. Ex costa Eva.

**D.** Ignis quomodo probatur factus, aut unde, vel quando?

**M.** Factum quidem ex generali scriptura possumus adprobare cum dicitur de Deo : *Qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt* (*Psal. cxlv, 6*); quia utique etiam ignis in eis est, et ex speciali prophetia. *Laudate Dominum, dracones et omnes*

*abyssi, ignis, grando, nix, glacies et spiritus procel-  
larem (Psal. cxlviii, 7).* De quibus ante dixerat : *Quoniam ipse dixit et facta sunt (Psal. cxlviii, 5).* Et rursus : *Benedicite, omnia opera Domini, Domino ; et subjunxit : Benedicite, ignis et æstus, Dominum (Dan. iii, 57, 66).* Utrum vero ex nihilo, sicut et alia factus sit, an ex aliquo dubitatur. Plures enim volunt cœlestium luminarium esse particulam, quippe etiam nunc frequenter videlicet homines certo modo ignem ex solis radiis mutuari : Quod si ita est, primo die factus est. Sed sapientius hoc Scriptura lumen quam ignem vocavit, ut ex meliore usu nomen acciperet.

**D.** Da septimam creaturarum differentiam.

**M.** Quod omnia quæ ex aliquo facta sunt, corpora sunt. Incorporea autem neque ipsa ex aliquo, neque ex ipsis facta sunt aliqua. Hæc vero incorporea accipienda sunt, non sicut Deus incorporeus dicitur, ejus enim comparatione nihil corporeum [*Leg. incorporeum*] est, sicut nec immortale, nec invisible. Alius enim modus est, quo hæc verba soleæ divinitati conveniunt, alias quo de creaturis loquimur, sicut de animalibus vel angelis.

**D.** Quomodo Deus mundum fecerit possumus quærere?

**M.** Hoc temerarie magis quam caute exquiritur. Nulli enim divinæ creature modum homini licet agnoscere. Nam si sciret quis quomodo facta sunt aliqua ex nihilo, creatori utique scientia ac potentia par fuisset.

AUGUSTINUS.

**D.** Si omnia in numero, et mensura, et pondere Deus disposuit; ipsum numerum et mensuram et pondus ubi disposuit?

**M.** Numerus et mensura et pondus ipse est Deus. Ipse est enim numerus sine numero, a quo est omnis numerus. Ipse est mensura sine mensura, a quo est omnis mensura. Ipse est pondus sine pondere, a quo est omne pondus. Non enim creaturam extra se aut alicubi vidit; ut sicut homines, memoria retineret quæ faceret. Omnis igitur creatura voluntas est creatoris, voluntas itaque creatoris non est extra naturam creatoris, hoc est ibi voluntas quo natura. Sic tamen æterna est natura, sicut æterna voluntas, non enim accedit Deo aliqua nova cogitatio ad formandam creaturam. Proinde omnia in se Trinitas Deus disposuit, quia in se cuncta habuit quæ fecit. Intelligitur et alter, omnia in numero et mensura et pondere disposuit, id est ut omnia quæ fecit, numerum et mensuram et pondus haberent.

*Augustinus in libro I contra Manichæos ita exorsus est.*

More Manichæorum multi imperiti et rustici, et ut ita dicam præsumptuosi, percunctare solent et objiciunt : Si in principio aliquo temporis fecit Deus cœlum et terram; quid agebat antequam faceret cœlum et terram [a vel ubi erat] et quid ei placuit

a Uncis inclusa non lego in editis.

**A** subito facere quod nunquam antefecerat per tempora æterna ? His respondemus.

Deus in principio creavit cœlum et terram, non in principio temporis, sed in Christo, cum verbum esset apud patrem, per quod facta et in quo facta sunt omnia. Sed si in principio temporis Deum fecisse cœlum et terram credamus, debemus utique intelligere, quod ante principium temporis non erat tempus. Deus enim fecit et tempora. Et ideo antequam faceret tempora, non erant tempora. Non enim possumus dicere fuisse aliquod tempus quando Deus nondum aliquid fecerat, quomodo enim erat tempus quod Deus non fecerat, cum omnium temporum sit ipse fabricator. Et si tempus cum cœlo et terra esse cœpit, non potest inveniri tempus quo

**B** Deus nondum fecerit cœlum et terram. Cum autem dicitur : Quid ei subito placuit? sic dicitur quasi aliqua tempora transierint, quibus Deus nihil operatus est; non enim transire poterat tempus, quod nondum fecerat Deus, quia non potest esse operator temporum, nisi qui est ante tempora. Certe et ipsi Manichæi legunt apostolum Paulum et laudant et honorant, et ejus epistolas male interpretando multos decipiunt. Dicant ergo nobis quid dixerit apostolus Paulus : *Agitionem veritatis quæ est secundum pietatem Dei in spe vitæ æternæ, quam promisit non mendax Deus ante tempora æterna (Tit. i, 4).* Æterna enim tempora quid ante se habere potuerant? Hoc ergo cogantur exponere, ut intelligent se non intelligere, cum temere volunt reprehendere quod diligenter querere debuerunt.

**C** Si autem non dicunt : Quid placuit Deo subito facere cœlum et terram; sed tollunt inde, subito, et hoc tantum dicunt : Quid placuit Deo facere cœlum et terram? Non enim cœvum Deo mundum istum dicimus, quia non ejus æternitatis est hic mundus, cuius æternitatis est Deus. Mundum quippe Deus fecit, et si cum ipsa creatura, quam fecit Deus tempora esse cœperunt, et ideo dicuntur æterna tempora; non tamen sic sunt æterna quomodo æternus Deus est, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum, sicut omnia quæ fecit Deus, bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quemodo bonus est Deus, qui illa fecit; hæc autem facta sunt; nec ea genuit de seipso, ut hoc essent quod ipse est; sed ea fecit de nihilo, ut non essent æqualia, nec ei a quo facta sunt, nec filio ejus per quem facta sunt, justus [*Edit., justum*] est enim. Si enim [*Edit., ergo*] isti dixerint : Quid placuit Deo facere cœlum et terram? Respondendum est eis, ut prius vim discant voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim Dei voluntatis desiderant scire [*Edit., scire querunt*], cum voluntas Dei omnium quæ sunt ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus cœlum et terram? Respondendum est illi, quia voluit. Volun-

**D** Si autem non dicunt : Quid placuit Deo subito facere cœlum et terram; sed tollunt inde, subito, et hoc tantum dicunt : Quid placuit Deo facere cœlum et terram? Non enim cœvum Deo mundum istum dicimus, quia non ejus æternitatis est hic mundus, cuius æternitatis est Deus. Mundum quippe Deus fecit, et si cum ipsa creatura, quam fecit Deus tempora esse cœperunt, et ideo dicuntur æterna tempora; non tamen sic sunt æterna quomodo æternus Deus est, quia Deus est ante tempora, qui fabricator est temporum, sicut omnia quæ fecit Deus, bona sunt valde, sed non sic bona sunt, quemodo bonus est Deus, qui illa fecit; hæc autem facta sunt; nec ea genuit de seipso, ut hoc essent quod ipse est; sed ea fecit de nihilo, ut non essent æqualia, nec ei a quo facta sunt, nec filio ejus per quem facta sunt, justus [*Edit., justum*] est enim. Si enim [*Edit., ergo*] isti dixerint : Quid placuit Deo facere cœlum et terram? Respondendum est eis, ut prius vim discant voluntatis humanæ, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim Dei voluntatis desiderant scire [*Edit., scire querunt*], cum voluntas Dei omnium quæ sunt ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliquid quod antecedat voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus cœlum et terram? Respondendum est illi, quia voluit. Volun-

tas enim Dei causa est cœli et terræ; et ideo major A est voluntas Dei quam cœlum et terra. Qui autem dicit; quare voluit facere cœlum et terram; [<sup>a</sup> aut ubi erat antequam fierent?] majus aliquid querit quam est voluntas Dei. Nihil enim majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est non querat, ne id quod est non inventiat; et si voluntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo. Certe si voluntatem hominis quis nosse vellet, cuius amicus non esset, omnes ejus imprudentiam aut stultitiam deriderent. Non enim quisque efficitur amicus Dei, nisi purgatissimis moribus, et illo fine præcepti de quo dicit Apostolus: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non facta* (*I Tim. 1, 5*), quod isti si haberent, non essent hæretici.

Quod autem sequitur in libro Geneseos: *Terra autem erat invisibilis et incomposita*, sic reprehendunt Manichæi, ut dicant: Quomodo in principio fecit Deus cœlum et terram, si jam terra erat invisibilis et incomposita? Itaque cum volunt divinas scripturas prius vituperare quam nosse, etiam res apertissimas non intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit, quam hoc dictum est: *In principio fecit Deus cœlum et terram*, terra autem ipsa quam fecit Deus, invisibilis erat et incomposita. Antequam Deus omnium rerum formas locis et sedibus suis ordinata distinctione disponeret, antequam diceret, *Fiat lux*, et *fiat firmamentum*, et *congregentur aquæ*, et *appareat arida*, etc., quæ in eo libro per ordinem sic exponuntur, quemadmodum ea parvuli possent capere. Quæ omnia continent tam magna mysteria, ut quisquis ea didicerit, omnium hæreticorum vanitatem vel doleat quia homines sunt, vel rideat quia superbi sunt.

Sequitur in illo libro: *Et tenebrae erant super abyssum* (*Gen. 1, 2*), quod Manichæi [<sup>b</sup> vel sectatores eorum] reprehendunt dicentes: In tenebris ergo Deus erat antequam ficeret lucem? Vere ipsi sunt in tenebris ignorantiae, et ideo non intelligunt lucem, in qua Deus erat antequam ficeret istam lucem. Non enim noverunt isti lucem, nisi quam carneis oculis vident, et ideo istum solem quem pariter non solum cum bestiis majoribus, verum etiam cum muscis et vermiculis cernimus, illi sic colunt, ut particulam dicant esse lucis illius in qua habitat Deus. Sed nos intelligamus aliam esse lucem in qua Deus habitat: unde est illud lumen de quo in Evangelio dicitur: <sup>c</sup> *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (*Joan. 1, 9*). Nam solis istius lumen non illuminat hominem, sed corpus hominis, et mortales oculos quibus nos vincunt aquilarum oculi, qui solem istum multo melius quam nos dicuntur aspicere. Illud autem lumen non inrationale avium oculos pascit; sed pura corda eorum qui Deo credunt, et ab amore visibilium rerum et

<sup>a</sup> Uncis inclusa in editis non leguntur.

<sup>b</sup> Uncis inclusa in editis non leguntur.

<sup>c</sup> In editis legitur, *Erat lumen verum quod*.

<sup>d</sup> In editis, *de qua consequenter hoc loco dicitur*.

A temporalium se ad ejus præcepta complenda convertunt. Quod omnes homines possunt si velint, quia illud lumen omnem illuminat hominem venientem in hunc mundum. Ergo tenebrae erant super abyssum antequam lux ista fieret. <sup>d</sup> Consequenter de hoc loco dicitur:

*Et dixit Deus, fiat lux*, quia ubi lux non est, tenebrae sunt, non quia aliquid sunt tenebrae, sed ipsa lucis absentia tenebrae dicuntur; sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas non aliqua res est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus ubi corpus non est, inanis dicitur. Sic tenebrae, <sup>e</sup> ut jam diximus, non aliquid sunt; sed ubi lux non est, tenebrae dicuntur. Haec B ideo diximus, quia solent dicere: Unde erant ipsæ tenebrae super abyssum, antequam Deus ficeret lucem? quis illas fecerat, vel genuerat? aut si nemo fecerat vel genuerat eas, æternæ erant tenebrae? quasi aliquid sint tenebrae. Sed, ut dictum est, lucis absentia hoc nomen accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderunt gentem esse tenebrarum, in qua et corpora, et formas, et animas in illis corporibus fuisse arbitrantur; ideo putant quod tenebrae aliquid sint, et non intelligunt non sentiri tenebras, nisi quando non videmus; sicut <sup>f</sup> non sentimus silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est; sic et tenebrae nihil sunt. Sicut autem isti dicunt gentem tenebrarum contra Dei lucem pugnasse; sic potest etalius similiter vanus dicere, gentem silentiorum contra Dei vocem pugnasse. Sed illas vanitates modo non suscipimus refellere atque convincere; nunc enim ea quæ reprehendunt in veteri testamento statuimus defendere, quantum ut res Dominus præstare dignetur, et in eis ostendere, contra veritatem Dei nihil valere homini cœcitatem. Sequitur.

Quod autem scriptum est: *Et Spiritus Dei serebatur super aquam* (*Gen. 1, 2*), sic solent Manichæi reprehendere, ut dicant: Aqua ergo erat habitaculum spiritus Dei, et ipsa continebat spiritum Dei? Totum conantur perversa mente pervertere, et excæcantur malitia sua. Cum enim dicimus, sol superfertur super terram, numquid hoc intelligi volumus, quod in terra sol habitat, et terra solem continet? Et tamen non sic Spiritus Dei <sup>g</sup> serebatur super aquam, sicut superfertur sol super terram, sed alio modo quem pauci intelligunt. Non enim per spatia locorum superferebatur aquæ illi spiritus, sicut terre sol superfertur, sed per potentiam invisibilis sublimitatis suæ. Dicant autem nobis isti, quomodo his rebus quæ fabricandæ erunt, superferebatur voluntas fabri. Quod si haec humana et quotidiana non comprehendunt, timeant Deum, et simplici corde quod non intelligunt querant, ne cum volunt verbis sacrilegis

<sup>e</sup> In editis desunt hæc verba, *ut jam diximus*.

<sup>f</sup> Editi legunt, *non sentitur*.

<sup>g</sup> Cum editis lege, *superferebatur super aquam*.

concidere veritatem, quam videre non possunt, re-  
deat illis securis in crura. Nam illa concidi non  
potest, quæ incommutabilis manet; sed quæcumque  
plagæ in illam emissæ fuerint, repercutiuntur, et  
majori ictu redeunt in eos, qui cædere audent quod  
credere deberent, ut intelligere mererentur.

Deinde querunt, et insultando interrogant, unde  
erat ipsa aqua super quam ferebatur spiritus Dei;  
numquid enim superius scriptum est, quod Deus  
aquam fecerit? Hoc si pie quererent, invenirent quem-  
admodum intelligendum esset. Non enim aqua sic  
appellata est hoc loco, ut hæc a nobis intelligatur,  
quam videre jam et tangere possumus, quomodo nec  
terra quæ invisibilis et incomposita dicta est, talis  
erat, qualis ista quæ jam videri et tractari potest.  
Sed illud quod dictum est: *In principio creavit Deus cœlum et terram* (Gen. 1, 1), cœli et terræ nomine  
universa creatura significata est, quam fecit et con-  
didit Deus. Ideo autem nominibus visibilium rerum  
hæc appellata sunt, propter parvolorum infirmitatem,  
qui minus idonei sunt invisibilia comprehendere.  
Primo ergo materia facta est confusa et informis,  
unde omnia fierent quæ distincta atque formata  
sunt, quod credo a Græcis *Chaos* appellari. Sic enim  
et alio loco legimus dictum in laudibus Dei, *Qui fe-  
cisti mundum de materia informi*, etc., quod aliqui  
codices habent de materia invisa.

Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo  
fecisse, quia etiamsi omnia formata de ista materia  
facta sunt, hæc ipsa tamen materia de nihilo facta  
est. Non enim debemus esse similes istis, qui omni-  
potentem Deum non credunt aliquid de nihilo facere  
potuisse, cum considerant fabros et quoslibet opifices  
non posse aliquid fabricare, nisi habuerint unde fa-  
bricent. Et ligna enim adjuvant fabrum, et argen-  
tum adjuvat argentarium, et aurum aurifacem, et  
terra sigillum adjuvat, ut possit perficere opera sua.  
Si enim non adjuventur ea materia unde aliquid fa-  
ciunt, nihil possunt facere, cum materiam ipsam  
non ipsi faciunt. Non enim faber facit lignum, sed  
de ligno aliquid facit, sic et ceteri omnes opifices.  
Omnipotens autem Deus nulla re adjuvandus erat,  
quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret; si  
enim ad eas res quas facere volebat, adjuvabat eum  
aliqua res quam ipse non fecerat, non erat omnipo-  
tens; quod sacrilegum est credere.

Informis ergo illa materia quam de nihilo Deus  
fecit, appellata est primo cœlum et terra, non quia  
hoc jam erat, sed quia hoc esse poterat. Nam et  
cœlum postea scribitur factum. Quemadmodum si  
semen arboris considerantes, dicamus ibi esse radi-  
ces et robur, ramos, fructus, et folia; non quia jam  
sunt, sed quia inde futura sunt: Sic dictum est:  
*In principio fecit Deus cœlum et terram*, quasi semen  
cœli et terræ, <sup>a</sup> cum confusa adhuc esset cœli et  
terræ materia. Sed quia certum erat inde futurum  
esse cœlum et terram, jam et ipsa materia cœlum et

**A** terra appellata est. Isto genere locutionis etiam Do-  
minus loquitur, cum dicit: *Jam non dico vos servos,*  
*quia servus nescit quid faciat dominus ejus. Vos autem*  
*dixi amicos, quia omnia quæ audivi a Patre meo, nota*  
*feci vobis* (Joan. xv, 15). Non quia factum erat, sed  
quia certissime futurum erat. Nam post paululum  
dicit illis: *Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non*  
*potes* *portare modo* (Joan. xvi, 12). Ut quid ergo  
dixerat: *Omnia quæ audivi a Patre meo nota feci vo-  
bis*, nisi quia sciebat hoc se esse facturum? Sic etiam  
cœlum et terra potuit dici materia unde nondum  
erat factum cœlum et terra, sed tamen non aliunde  
faciendum erat. Innumerabiles tales locutiones in  
scripturis divinis inveniuntur, sicut in consuetudine  
sermonis nostri, cum id quod certissime futurum  
speramus, dicimus: *jam factum puto*.

Hanc autem adhuc informem materiam etiam ter-  
ram invisibilem et incompositam voluit <sup>b</sup> appellari;  
quia inter omnia elementa mundi, terra videtur mi-  
nus speciosa quam cætera. Invisibilem autem dixit  
propter obscuritatem, et incompositam propter in-  
formitatem. Eamdem ipsam materiam etiam aquam  
appellavit, super quam ferebatur Spiritus Dei, sicut  
superfertur fabricandis voluntas artificis; quod etsi  
paucorum intelligentia potest attingere, humanis  
tamen verbis nescio utrum a paucis hominibus possit  
exponi. Propterea enim non absurde etiam aqua  
dicta est ista materia, quia omnia quæ in terra na-  
scuntur, sive animalia, sive herbare, vel arbores, et  
bis similia, ab humore incipiunt formari atque nu-  
triri. Hæc ergo nomina omnia, sive cœlum et terra,  
sive terra invisibilis et incomposita, et abyssus cum  
tenebris, sive aqua super quam Spiritus ferebatur,  
nomina sunt informis materiæ; ut res ignota notis  
vocabulis insinuaretur imperitioribus; et non uno  
vocabulo, sed multis; ne si unum esset, hoc esse  
putaretur quod consueverant homines in illo vocabulo  
intelligere. <sup>c</sup> Dicta est cœlum et terra, quia inde fu-  
turum erat cœlum et terra. Dicta est terra invisibilis  
et incomposita, et tenebrae super abyssum, quia in-  
formis erat, et nulla specie cerni aut tractari pote-  
rat, etiamsi esset homo qui videret atque tractaret.  
Dicta est aqua, quia facilis et ductilis subjacebat ope-  
ranti, ut de illa omnia formarentur: sed sub his  
omnibus nominibus materia erat invisa et informis,  
de qua Deus condidit mundum.

**D** *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Istud  
capitulum librorum omnium caput est; omnis nam-  
que Scriptura divina bipartita est, Vetus Testamentum  
et Novum. Alia quippe sunt ubi aeterna intimantur,  
ut est: *In principio erat Verbum* (Joan. 1, 1). Alia  
facta narrantur, ut est: *In principio creavit Deus*  
*cœlum et terram* (Gen. 1, 1). Alia futura pronuntian-  
tur, ut est: *Cum venerit filius hominis in maiestate*  
*sua* (Luc. ix, 26). Alia vero sunt quæ agenda præci-  
piuntur, cum dicitur: *Diliges proximum tuum sicut*  
*te ipsum*, etc. (Math. xxii, 39). Bipartita vero est, quia

<sup>a</sup> Editi legunt, *cum in confuso adhuc esset*.

<sup>b</sup> Loge cum editis, *appellare*.

<sup>c</sup> Editi legunt, *dictum est ergo cœlum*.

<sup>d</sup> Ex Augustino, de Genesi ad litteram, lib. 1, cap. 1.

sunt alia quæ secundum figuram dicta sunt, ut est : *Canticorum*, et ut est : *Audivit Adam vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo* (*Gen. iii, 8*) ; et alia sunt secundum rerum gestarum fidem, ut est : *quod populus exiens de Ægypto, per mare pedibus ambulavit*. Alia vero sunt quæ utroque dicta sunt modo, ut est *transitus maris Rubri*, et *miracula illa quæ Dominus in Evangelio fecit*.

*In principio creavit Deus cœlum et terram.*

D. Inquirendum summopere est, in quo principio, utrum in principio temporis, an in principio, ut hoc esset initium creaturæ ejus ex quo alia esse coepérunt, non enim coetera Deo semper fuerunt.

M. Dicamus quia in principio sibi coetero fecit Deus cœlum et terram, in unigenito Filio qui est sapientia Patris, de quo dicit Apostolus, *Christum Dei virtutem et Dei sapientiam* (*I Cor. i, 24*). Et in psalmo dicit : *Omnia in sapientia fecisti* (*Psalm. ciii, 24*) ; et iterum dicit Apostolus : *Quia in ipso condita sunt omnia quæ in celo sunt et quæ in terra, visibilia et invisibilia* (*Col. i, 16*).

D. Genesis principium est. Si in principio creavit Deus cœlum et terram, angeli postmodum facti sunt. Si angeli ante facti sunt, non primo omnium creavit Deus cœlum et terram.

M. Quando facta sunt simul sidera, ait Scriptura, *laudaverunt me angeli mei voce magna*. Quarta die facta sunt sidera, et jam erant angeli. Neque enim die tertio, neque secundo facti sunt. In his enim apparet quæ facta sunt. Tertia die scilicet terra ab aquis discreta est; secunda factum est firmamentum, ubi sol et luna discurrunt et sidera. Porro primus dies ipse est angelica natura, quæ primo cœli nomine nuncupata est. Unde evidenter ostenditur primum diem spiritalem factum, id est angelicam naturam, et sic cœlum quod oculis cernimus. Nam quod ait, *In principio creavit Deus cœlum et terram* (*Gen. i, 1*), non primo omnium, sicut aīs, sed in principio, id est in Filio, imo per Filium, fecit Deus omnem spiritalem corporalemque creaturam, quæ cœli et terre nomine appellata est. Nam quod ipse sit principium, de se interrogantibus Judeis quis esset, respondit : *Principium qui et loquitur vobis* (*Joan. viii, 25*). Primo igitur voluit cœlum et terram velut quamdam spiritalem corporalemque materiam dicere, et sic quemadmodum singillatum facta sunt ordinem tenere. Quod enim dixit cœlum, hoc mihi dixisse videtur aquarum abyssum tenebrosam, Adæ quodammodo fluitantem vitam, nisi convertatur ad creatorem, et fiat lux, et contempletur Trinitatem Deum esse indivisum. Neque enim ita dicimus, ut ista materia præcedat formam suam, sicut præcedit lignum arcas, et sicut præcedit vox verbum, neque enim tempore, sed origine. Igitur prima creatura lux, non ista quæ quarta die facta est, sed spiritualis, id est angelica natura.

Hoc tamen intelligendum quod simul creavit cœlum et terram et lucem, quia nil interest nisi origo

\* Quæst. Hebr.

A tantum. Sicut homo duas parabolas cognitas simul non potest enarrare, ita et Dominus fecit, quia hoc prius enarravit quod originem habuit, et postea quod exinde factum fuit, quamvis utrumque simul fecisset, ut quod sola origine prius est in faciendo, prius sit ex tempore enarrando. Ergo dum oportebat ut scriptura sancta utrumque enarrasset, tam res gestas quam res enarratas, quod exinde factum est propter tardiorum intellectum, ut capere potuissent, quia res corporeæ ex aliquo siebant; quia nihil interest inter creationem cœli et terræ et lucis, nisi hoc tantum quod est inter verbum et vocem.

D. Cur non dixit, in principio fecit Deus cœlum et terram, sed creavit?

M. Propter informitatem materiæ.

B D. Da sensum spiritalem.

M. Principium Christus est, sicut ipse in Evangelio ait : *Principium qui et loquitur vobis* (*Joan. viii, 25*). In hoc igitur principio fecit Deus cœlum, id est qui coelestia meditantur et querunt. In ipso fecit et carnales, qui terrenum hominem needum deposuerunt.

D. Terra autem erat inanis et vacua (*Gen. i, 2*). Cur inanis et vacua?

M. Id est quia non erat a mari distincta; vacua, inquit, quia littoribus non erat circumdata, vel vicibus suis ornata, id est arboribus et animalibus.

Item spiritualiter: Terra scilicet carnis nostræ inanis et vacua erat, priusquam doctrinæ acceperit formam.

D. Quare tenebra dicuntur super faciem fuisse abyssi?

C M. Quia non erat lux quæ superfunderetur; quod si esset, utique superesset.

Item, quia erat spissus aer carens luce diurna.

Aliter. Tenebrae erant super faciem abyssi, quia delictorum cæcitas et ignorantia profunda obscuritas corda nostra tegebat.

D. Quomodo spiritus Dei ferebatur super aquas, edisse?

#### HIERONYMUS \*

M. Pro eo quod in nostris codicibus scriptum est, ferebatur; in Hebreo habetur *merephet*, quod nos appellare possumus, incubabat, sive confovebat in similitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus, non de spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu sancto, qui et ipse vivificator omnium a principio dicitur. Sic autem vivificator quasi conditor Deus : *Emitte*, ait, *Spiritum tuum, et creabuntur* (*Psalm. ciii, 30*).

#### AUGUSTINUS.

D. Spiritus Dei ferebatur super aquas : Localiter ferebatur sicut sol et sidera, an aliter?

M. Spiritus sanctus Deus est, qua in re non loco continetur, et distenditur, nec temporum mutationibus subjacet, sed est ubique præsens totus. Quomodo sane nominavit creaturam, cui superferri diceretur Spiritus sanctus, non localiter, sed potentia liter. Dominus non ex indigentia fecit opera sua, sed ex beneficentia, neque horum indiget quæ fecit. In-

digus quippe atque egenus amor subjicitur rebus quas diligit. Ideo dictus est superferri creaturam Spiritus sanctus, quia non ex indigentia operatus est ipsam creaturam.

AMBROSIUS \*.

**D.** Quomodo Spiritus Dei serebatur super aquas?

**M.** Sicut ait Apostolus : *Supereminentem*, inquit, *scientiam charitatis Dei*. Et alibi ait : *Superexaltat autem omnem intellectum*. Ergo inchoatura aliquid ostendit super quod spiritus Dei ferri diceretur, non loco, sed omnia superante atque præcellente potentia. Duo quippe sunt propter quæ amat Deus creaturam suam; ut sit et ut maneat. Ut sit formata, et maneat in præcepto Conditoris. Ut esset ergo, Spiritus Dei serebatur super aquam; ut autem maneret, vidi Deus quia bonum est. Quamobrem prius res informatas et postea spiritum sanctum nominavit, quia omnis exiguis amor rebus quas diligit subterponitur.

ITEM IN HEXAMERON AUGUSTINUS.

**D.** De informitate materiæ ut plenius et uberior exponas posco.

**M.** Verum et manifestum est omne mutabile ex aliqua informitate formari, simulque et manifestissima ratio docet, nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ex Deo. Et licet dicat Scriptura : *Qui fecisti mundum ex materia informi* (*Sap.* xi, 15), non tamen informis materia formatis rebus tempore prior est, cum sit utrumque simul concreatum, et quod factum est et unde factum est. Sicut vox materia verborum est, verba vero formatam vocem indicant. Ita creator Deus non priore tempore fecit informem materiam, et eam postea per ordinem quarumcumque naturarum quasi secunda consideratione formativit, sed non potuit non dividere scriptura loquendi temporibus quod Deus faciendi temporibus non divisit. Et nos cum dicimus materiam et formam, utrumque simul intelligimus, nec utrumque simul possumus enuntiare. Quod si spiritalis lux facta est, cum dixit Deus fiat lux, non illa vera patri coetera intelligenda est, per quam facta sunt omnia, sed illa de qua dici potuit, prior omnium creata est sapientia, quia per sapientiam non creatam facta est lux. Quo autem modo simul fieri potuerit, et quod illuminaret et ipsa illuminatio, ac diverso tempore narranda fuerint, paulo ante diximus cum de materia tractaremus.

AUGUSTINUS.

**D.** *Dixit quoque Deus fiat lux.* In die dixit, an ante omnem diem? Si in die dixit, temporaliter dixit, si temporaliter dixit, per aliquam creaturam dixit, igitur non est prima creature lux.

**M.** Nec in die dixit, nec temporaliter dixit, sed ante omnem profecto creaturam verbum suum genuit. Dictio itaque Dei verbum Dei est. Sed divina Scriptura parvulis congruens, et quodammodo eos lactans, ut proficiant, et cibum spiritalem capiant, voluit semper per omnem creature formationem

A dictionem nuncupare. Ut si verbi causa requiramus quomodo facta est lux, audies, in verbo Dei erat ut fieret, quomodo et cætera per ordinem. Si requiras quomodo facta sunt; in verbo Dei erant ut fierent. Hinc est enim, *dixit Deus fiat lux*, neque enim corporalibus modis loquitur divina natura, nec quotiens dicitur dixit, totiens verbum formavit, unum enim verbum genuit coeterum et consubstantivum sibi, in quo omnia ineffabiliter dixit.

ITEM.

**D.** *Dixit quoque Deus fiat lux.* Lux autem hæc est visibilis, an invisibilis?

**M.** Invisibilis enim dicitur, quia creatio angelica est, quam oculi nostri non valent prospicere. Ratio enim erat, ut die quarto sidera in celo fabricasset, B quæ oculi nostri potuissent prospicere.

**D.** Ista creatio angelica est temporalis an intemporalis?

**M.** Temporalis erat in angelis, intemporalis autem in Deo. Temporalis erat quod dictum intelligimus ab æterno Deo expressum per verbum coeterum, in creatura spiritali quam jam tunc fecerat cum dictum est, in principio creavit Deus celum et terram. Sed ista locutio non tantum sine aliquo sono, sed etiam sine ullo corporali motu creaturæ spiritalis, ejusmenti atque rationi quodammodo infixa per verbum patris coeterum. Sed multum atque difficillimum est capere quomodo dicitur deo non temporaliter jubenti, neque id temporaliter audiente creatura, qui contemplatione veritatis omnia excedit tempora, sed intellectualiter sibimet impressa cum patri coetera sapientia tanquam intelligibilis locutionis, ad ea quæ infra sunt transmittentis, ut fieret temporalis motus in rebus temporalibus sive formandis sive administrandis.

**I.** Item. Facta est inquit lux, id est creatio angelica, quia tunc cœperunt agnoscere vel intelligere creatorem suum.

**D.** Quare iterum non repetit, et fecit Deus lucem, sicut creaturas cæteras repetit quas creavit, ut in firmamento dicit : *Fiat firmamentum.* Et iterum : *Fecit Deus firmamentum?*

**M.** Necessæ namque non erat ut dixisset : *Fecit Deus lumen*, quia intellectualis creatura erat, id est D angeli. Quando autem dicit : *Fiat firmamentum*, vel cætera in aliis creaturis, hoc in cognitione angelica dixit, quia nec mirum est si Deus sanctis angelis suis in prima lucis conditione ad se conversis, prius voluit ostendere quid erat deinceps facturus. Quandovero dicit : *Et fecit Deus*, id est in propria natura rerum, jam non erat hoc opus de angelis iterum repetere, quia illi tunc, sicut diximus, conversi fuerant ad cognoscendum creatorem suum. Cum enim æterna illa et immutabilis, quæ non est facta, sed genita sapientia, in spiritalem atque rationalem creaturam se transfert, sicut in animas sanctas, ut illuminati lucere possint, sit in eis quedam luculentæ rationis affectio, quæ potest accipi, facta est lux,

\* Imo Augustinus, lib. primo de Genesi ad litteram, cap. 7.

cum dixerat Deus *fiat lux*, jam enim erat spiritualis creatio, quæ cœli nomine significata est, cum scriptum sit : *In principio creavit Deus cælum et terram*. Non cœli corporei, sed cœli incorporei, in qua natura intelliguntur omnes sancti angeli.

GREGORIUS.

Tales namque creati sunt angeli, ut si vellent, in beatitudinis luce persisterent ; si autem nollent, etiam labi potuissent. Unde et Satan cum sequacibus legionibus cecidit ; sed post ejus lapsum ita confirmati sunt angeli qui persistierunt, ut cadere omnino non possint. Quod bene in ipso exordio Geneseos presentis libri historica descriptione signatum est. Quia creavit Deus cœlum quod postmodum vocavit firmamentum. Cœli ergo fuerunt, ut diximus, hi qui prius bene sunt conditi, sed postmodum firmamentum appellati sunt, quia omnino jam ne caderent virtutem incommutabilitatis acceperunt.

ITEM GREGORIUS.

*Dixit Deus : Fiat lux et facta est lux* (*Gen. 1, 3*), et paulo post : *Factum est vespero*. Nequaquam sic in hac vita per exercitationem justitiae peccatum deseritur, ut in eadem justitia inconcussus maneatur. Quia etsi jam a cordis habitaculo culpam rectitudi eliminat, ipsa tamen culpa quæ repellitur, cogitationis nostræ foribus assidens, ut sibi aperiatur pulsat. Quod Moyses spiritualiter innuit, cum facta corporaliter temporum momenta narravit : *Facta est lux, atque paulo post subjiciens, factum est vespero*. Creator quippe omnium humanæ culpæ prescius, tunc expressit in tempore quod nunc versatur in mente. Lux quippe ad vesperum ducitur, quia nimis lumen rectitudinis umbra sequitur tentationis. Sed quia electorum lux tentatione non extinguitur, nequaquam nox, sed vespero facta perhibetur, quia nimis saepe tentatio in corde rectorum lumen justitiae abscondit, sed non intermit, quasi ad pallorem trepidationis pertrahit, sed funditus non extinguit.

AMBROSIUS.

*Dixit quoque Deus : Fiat lux*, id est illuminatio credulitatis appareat. Prima enim die lucem fidei dedit, quia prima est in conversione fides, unde et ipsum primum præcepti mandatum est, *Dominus Deus tuus Deus unus est* (*Deut. iv, 6*), propter quam fidem ipse Dominus visibiliter in mundo apparere voluit, jam tunc Deus juxta præscientie suæ gratiam divisit justos, id est filios Dei et lucis a peccatoribus tanquam a tenebris, istos vocans diem, illos noctem, nam quia in lucis nomine justi appellantur, audi Apostolum : *Fuistis inquit aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino* (*Ephes. v, 8*).

AUGUSTINUS.

*Et vidit Deus lucem quod esset bona* (*Gen. 1, 4*).

*D.* Si subito Deus vidit lucem quod esset bona, an antea nescivit, et visio ei contulit scientiam ?

*M.* Omne enim opus præcedit voluntas, nam dum cogitamus quid operare debeamus, neque enim ignorans aliquid facit, dum cogitat qualiter sicut quæ

A facienda cogitando dispositus. Et cum hoc in hominem cadere non possit, ut aliquid ignorans faciat, quanto magis in Deum, qui omnia æterno et stabili consilio suo quomodo voluit fecit ? Nec aliter etenim facta et aliter facienda vidit ; eo itaque modo vidit facta, quo viderat facienda.

*D. Et vidit Deus lucem quod esset bona* (*Gen. 1, 4*). Quare lucem tantum laudavit, et non noctem ?

*M.* Id est, quia nox adhuc nec dies factæ erant, sed tantum lux angelica, quia indignum erat Deo rem informem laudare, quæ adhuc formata non erat, sed rem illam quæ formata erat laudavit, id est lucem angelicam.

AUGUSTINUS.

*D. Et divisit lucem a tenebris* (*Ibid.*). Divisit, inquit scriptura, lucem a tenebris : omne enim quod dividitur, et esse potest. Sicut ergo est essentia lucis, ita essentia tenebrarum. Et cur non dicit Scriptura, vidit Deus tenebras quod essent bonæ, sicut de luce dictum est ?

*M.* Deus bona et incommutabili voluntate creavit omnes angelos bonos, sed quia ex his quosdam per superbiam præsciebat casuros, per incommutabilitatem præscientiae sue divisit inter bonos et malos. Malos igitur appellans tenebras, bonos appellans lucem, in his dicens quia boni sunt, in illis nullatenus dicens, ne peccata quæ erant tenebrae adprobare videretur.

ITEM ALIBI.

*C. D. Divisit lucem a tenebris. Quid est lucem a tenebris dividere ?*

*M.* Id est, distinctio rei formatæ ab informi.

*D. Appellavitque lucem diem, et tenebras noctem* (*Gen. 1, 5*). Cur appellavit lucem diem et tenebras noctem ? quæ adhuc formata non erant ?

*M.* Propterea enim appellavit lucem diem, quia dies circa speciem factæ rei appellatus est ; et tenebras noctem, quia nox ista quæ nobis notissima est, facit eam esse absentia solis super terram, quia decidente sole, vocamus vesperam, inchoante mane vocamus diem. Nox autem hic privatio operis est, aut nox ipsa possibilitas appellata est, quæ inest rebus factis, unde fieri potest, etiamsi non mutantur.

*D. Factumque est vespero et mane dies unus* (*Ibid.*). Quomodo hoc intelligendum est ?

*M.* Quid per vesperam nisi perfectio singulorum operum, et mane est inchoatio sequentium ?

AUGUSTINUS.

*D. Primum enim diem astruis spiritalem esse creaturam, et quomodo habuit vespero et mane ?*

*M.* Omnis namque creatura antequam tempore suo fieret, in ipso Dei Verbo erat, prius ab angelis cognoscenda, et sic suo tempore facienda. Quapropter ipsa creaturæ cognitio in semetipsa vespera erat, in Deo autem mane, quia plus videtur ipsa creatura in Domino, quam in seipsa videtur creatura. Plus scilicet videtur in arte qua facia est, quam in seipsa quæ facta est. Propterea enim ait

evangelista Joannes : *Quod factum est in ipso vita erat (Joan. 1, 3, 4).* Omnia igitur quæ facta sunt et vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipsis non sunt vita. Cœlum, terra, lapis, vitam non habent, et tamen in Domino vita sunt. Vivunt igitur in Deo sine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum. Ac per hoc plus vindicentur ab angelis sanctis in Verbo Dei ubi sunt vita, quam in seipsa, quia scientia angelorum in comparatione Dei quodammodo vesperascit. Ergo in cognitione firmamenti secundus. In cognitione discretiōnis terræ ac maris tertius. In cognitione solis ac lunæ vel stellarum, quartus. In cognitione reptilium, vel animalium, quintus. In cognitione jumentorum et ferarum vel ipsius hominis, sextus. Neque enim diei unius quem intelligimus spiritalem creaturam, id est angelicam, sexies facta cognitio : sexies fecit propter senarii numeri perfectionem. Sed de numero et de senarii numeri perfectione aliquid tibi ex Scripturis sanctis colligam. Libens adesto, et te totum ad audiendum prepara. Unus in numeris divedi non potest, ab ipso enim surgit omnis numerus; ergo duo dividi possunt. Si pars ejus unus est, igitur divisio duorum in unum, divisio trium in unum. Quid aliud hic numerus ostendit nisi Trinitatem quæ Deus est, quia quamvis tres sint personæ, in una creduntur unitate naturæ. Quaternarius duas partes habet. Nam quarta ejus unum est, media ejus duo. Unum videlicet et duo tria sunt. Ecce partes suas, nec ultra excrescit, nec compleat, et ideo imperfectus est numerus. Quinarius non habet nisi unum quod est quinta. Senarius igitur numerus perfectus est, quia partibus suis completur, habet enim unum quod est sexta, duo quod est tercua, tria quod est media : unum ergo duo et tria sex faciunt. Ideo propter hujus numeri perfectionem, sex diebus operatus est omnem creaturam. Tres haec partes senarii numeri demonstrant nobis Trinitatem Deum in trinitate numeri et mensuræ et ponderis fecisse omnem creaturam. Plurimum valere senarii numeri perfectionem in Scripturis sanctis frequenter reperimus, præsentim in morte Domini simpla et in resurrectione ejus simpla. Mors itaque Domini nostri Iesu Christi non fuit in anima, sed in carne sola. Mors vero nostra non solum in carne, sed etiam in anima. In anima propter peccatum, in carne vero propter poenam peccati. Ille vero quia peccatum non habuit in anima, non est mortuus nisi tantum in carne, et hoc propter similitudinem carnis peccati quod de Adam traxerat. Igitur simpla ejus mors fuit, nostra duplex. Est et simpla resurrectio ejus, resurrectio nostra duplex est. Mors carnis ejus et resurrectio ejus, mors carnis nostræ et resurrectio ejus, mors animæ nostræ et resurrectio ejus. Duae mortes nostræ et duae resurrectiones nostræ, duae et duae quatuor sunt. Uni morti Domini et uni resurrectioni ejus additæ et quatuor nostras, sex faciunt. Igitur simpliciter Domini et duplum nostrum tres sunt,

\* Lib. II de Genesi ad litteram, cap. 5 seqq.

A et tres partes habet, secundum quod supra diximus, senarius numerus. Nam xxxvi horæ quibus Dominus fuit in inferno, huic simple et duplo congruunt. XII igitur fuerunt diurnæ, et XXIV nocturnæ, XXIV ad duplam mortem nostram convenient, et ille XII horæ ad mortem Domini simplam. Revera enim et nativitas ejus senarium numerum habet. XLVI annis ædificatum esse templum astrunnt Judæi in Evangelio, quod intelligitur de corpore Domini. XLVI anni pro diebus positi sunt. XLVI diebus dicunt infantem formari in utero, et subinde usque in diem parturitionis augmentari. Quadrages quippe seni flunt CCLXXVI, qui faciunt menses novem et dies decem. Computa ergo ab octavo kal. Aprilis, quando passus est Dominus, tunc etiam creditur fuisse conceptus B usque in diem VIII Kal. Januarii, et reperies dies CCLXXVI, qui constat per senarium numerum. Quid de illa muliere in Evangelio quam XVIII annis incurvaverat Satanus, quam sanavit Dominus, dicimus quia et ipsi anni senarium numerum habent; ter igitur seni X et VIII. Illa igitur mulier intelligitur genus humanum, quam in sexta ætate scœuli a diaboli captivitate liberavit. Prima ætas ab Adam usque ad Noe. Secunda a Noe usque ad Abraham. Tertia ab Abraham usque ad David. Quarta a David usque ad transmigrationem Babylonis. Quinta a transmigratione Babylonis usque ad Joannem Baptistam et adventum Domini Salvatoris. Sexta quæ nunc agitur, donec Excelsus veniat ad judicium. Sexto itaque scœculo reformatur genus humanum ad imaginem Dei. Profecto enim anni XVIII non solum sex ætates, sed etiam tria tempora evidenter demonstrant. Unum scilicet ante legem, alterum sub lege, tertium sub gratia. Igitur et ipse annus senario numero continetur, habet enim dies CCCLXV et quadrans. Sexies quippe sexageni CCC sexageni, remanent profectio dies quinque et quadrans quinque dies sexti mensis, et tamen si illud quadrans pro die ponas, a parte totum sex faciunt. Ecce, quantum mibi Deus adjuvare dignatus est, de senarii numeri perfectione, et si non quantum volui, tamen quantum potui, reddidi rationem.

#### INCIPIT DE DIE SECUNDA DISPUTATIO.

*Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum et dividat aquas ab aquis (Gen. 1, 6).*

AUGUSTINUS.

D. Ordo elementorum et pondus non sinit ut sit aquarum substantia super cœlos, aqua enim cedit terra, et aer cedit aquæ, et ignis cedit aeri, nullo modo enim potest esse ut secundum elementum, quod est aqua, sit super quartum quod est ignis; et quomodo dictum est, fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis?

M. Quomodo aut qualeslibet sint aquæ illæ quas Scriptura dicit super cœlos esse, esse eas ibidem minime dubitemus. Sicut enim istæ nubes quæ utique sunt feruntur super aërem, ita fieri posse arbitror ut aquæ tenues atque subtiles ferantur super cœlum.

Nam ex hoc pondere elementorum multi philosophi A resurrectionem carnis illudentes, non posse fieri inquiunt, ut homo qui utique ex terra factus est, sit in cœlo; sed hos Veritas convincit, qui facit multa animalia terrena volare in aere, et ignem quod est utique quartum elementum, esse in terra. Ergo Dei potentia quæ hæc facere approbatur, facit ut homo et aquæ sint super cœlum. Sed talibus adversario-rum disputationibus quidam cedens, laudabiliter conatus est demonst̄are aquas super cœlos, ut ex ipsis visibilibus conspicuasque naturis adsereret scri- pturæ fidem. Et prius quidem quod facilium fuit ostendit, et hunc aerem cœlum appellari: propter quod dicimus serenum vel nubilum cœlum, vel quod vocantur volatilia cœli. Cum ergo probasset hunc aerem cœlum dici, nulla alia causa etiam firmamentum appellatum voluit existimari, nisi quia inter Vallum ejus dividit inter vapores aquarum et istas aquas, quæ corpulentius in terris fluitant. Ergo ex aere qui est inter vapores humidos, unde superiora nubila congregantur, et maria subterfusa, ostendere ille voluit esse cœlum inter aquam et aquam, quamquam possit videri non impedire propria pondera elementorum, quomodo etiam super illud sublime cœlum possint esse aquæ per illas minutias per quas etiam super hoc spatiū aeris esse potuerunt. Ipsi quippe subtilissima ratione persuadent, nullum esse quamlibet exiguum corpusculum in quo divisio finitur. Ac per hoc si potest aqua, sicut videmus, ad tantas guttarum minutias pervenire, ut super istum aerem vaporaliter ferantur, cur non possit et super illud cœlum levius minutioribus guttis et levioribus imminere vaporibus?

Quidam etiam nostri istos de ipsorum siderum qualitatibus et meatibus convincere moluntur; idem namque asserunt stellam, quam Saturni appellant, esse frigidissimam, eamque per annos xxx signiferum peragere circulum. Quæritur igitur ab eis, unde illa sit frigida, quæ tanto ardenter esse deberet, quanto sublimiore cœlo rapitur. Nam procul dubio cum rotunda moles circulari motu agitur, interiora ejus tardius eunt, exteriora celerius. Quæ autem celerius, utique ferventius. Proinde memorata stella magis debuit calida esse quam frigida: nimis ergo eam frigidam facit aquarum super cœlum constitutarum illa vicinitas. Quærunt etiam solet quæ forma et figura cœli esse credenda sit, utrum cœlum sicut <sup>a</sup> spera undique concludat terram in media mundi mole libratam; an eam ex una parte desuper velut discus cooperiat. Sed aliquis ait: Quomodo non est contrarium his qui figuræ speræ cœlo tribuunt, quod scriptum est in litteris nostris: *Qui extendit cœlum sicut pellem?* Cui responderi potest, quod pellis non solum in planum, verum etiam in rotundum sinum extenditur: nam et ute et vesica pellis est.

<sup>a</sup> Ita in vetustis codicibus solet scribi *spera pro sphæra*.

De motu etiam cœli nonnulli fratres <sup>c</sup> questionem movent, utrum stet, an moveatur; quia si moveatur, inquiunt, quomodo firmamentum? Hinc noverint nomen firmamenti non cogere, ut stare cœlum puteatur. Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum atque inferiorum aquarum vocatum intelligere licet. Hoc tamen intelligendum quod sidera circuunt, cœlum autem firmum stat, ut poeta.

Nam cœli in ævum suum incontaminata materies. Naturam tamen aquarum illic jam non vaporali tenacitatem, sed glaciali soliditate pendere aestimamus propter siderum naturas mitigandas, ne creature B Dei subterpositas nimio ardore concrement. Dicimus ergo de ipsis aquis quod congregatae minimæ guttæ in unum, et faciunt collectionem unam, et propter gravitatem ponderis non eas suffert aer sustinere, sed ejus ponderibus ad imum diffundendo dat locum, hæc est pluvia.

Ergo aerem, qui est inter vapores humidos, unde desuper nubila globantur, et maria subterfusa, volunt intelligere cœlum esse inter aquam et aquam. Secundum vero cœlum, quod per spiritum cernimus, unde animalibus plenus discus ille ad Petram missus in extasi mentis descendit. Tertium vero cœlum quod mente cognoscimus, ita secretum atque remotum, vel omnino mundatum, vel carnis sensibus abreptum, ut ea quæ in illo cœlo sunt, ipsam Dei substantiam Verbum, per quod facta sunt omnia, in charitate Spiritus sancti ineffabiliter videre valent.

#### ISIDORUS.

Tandem insanire desinant hæretici, atque confusi agnoscant, quia qui cuncta potuit creare ex nihilo, potuit et illam aquarum naturam glaciali soliditate stabilire in cœlo. Nam cum et ipsi dicant, volvi orbem stellis ardentibus resurgentem, nonne divina providentia necessario prospexit, ut intra orbem cœli et supra orbem redundaret aqua, quæ illa ferventis axis incendia temperaret.

#### ITEM.

Secunda, inquit, die dispositus Deus firmamen- D tum, id est solidamentum sanctorum Scripturarum, firmamentum enim in ecclesia, Scriptura divina intelliguntur, quia cœlum plicabitur sicut liber. Discretivque super hoc firmamento aquas, id est cœlestes populos angelorum, qui non opus habent hoc suspicere firmamentum, ut legentes audiant verbum Dei. Vident enim semper eum et diligunt; sed superposuit istud firmamentum legis suæ, super inferiorum populorum infirmitatem, ut ibi suspicentes cognoscant qualiter discernant inter carnalia et spiritualia, quasi inter aquas superiores et inferiores. Factumque est vespere et mane dies secunda.

<sup>b</sup> Leg. Augustinus.

<sup>c</sup> Isidorus in Gen., c. 2.

## DE DIE TERTIA ORITUR QUÆSTIO.

*D. Dixit vero Deus : Congregentur aquæ que sub caelo sunt in locum unum, et appareat arida (Gen. 1, 9).* • Hinc quoque oritur quæstio. Si totam terram aqua tegebat, non erat locus ubi aquæ congregarentur, dum totam terram tegebat aqua. Et quomodo Scriptura dicit : *Congregentur aquæ que sub caelo sunt in locum unum, et appareat arida?*

*M. Totam terram tegebat aqua sicut rarissima nebula, quæ postea in unum redacta atque collecta est, ut possit terræ species apparere, quanquam et terra longe lateque subsidens, potuit concavas partes præbere, quæ confluentes aquas susciperent, ut arida appareret.*

## AMBROSIUS.

Breviter admonemus, ut quem forte non movet querere quando species aquarum terrarumque creata sit; accipiant isto die non esse factum, nisi ut secernerentur hæc duo. Nam illud quod dictum est, ante dierum enumerationem terra erat invisibilis et incomposita, cum commendaret Scriptura cujusmodi terram fecerat Deus, quia prædicterat, *In principio creavit Deus cælum et terram, nihil aliud his verbis intelligendum est, quam materiæ corporalis informitatem insinuare voluisse; si tamen tardo intellectui non subrepatur, ut materiam et speciem, quia verbis Scriptura separat, conetur hæc duo etiam tempore separare.*

## ITEM UBI SUPRA.

*D. Congregentur aquæ que sub caelo sunt in cælum unum, et appareat arida? Quid est ergo quod non ait, fiat arida visibilis vel aqua congregata?*

*M. Quia propinquiora sunt eidem informitati quam coelestia corpora, aut de his per numerationem dierum infirma rerum coniduntur, ideo non iuri inferri, ut similiter cum superioribus fieri imperaret.*

## UNDE SUPRA.

*Spiritaliter.* <sup>b</sup> Tertia, inquit, die colligit in unum aquas inferiores salsas, hoc est homines infideles, qui cupiditatum tempestate et temptationum carnarium fluctibus quatuntur, et in seipsis quasi amaritudo includuntur; segregavitque ab eis aridam, populum scilicet fontem vitæ sicutem. Obscuritate debinet superborum limites, et coercuit eos ne turbulentis iniquitatum suarum fluctibus aridam, id est animam sicutem Deum conturbent, liceatque ei germinare bonorum operum fructus secundum genus suum, diligens proximum in subsidiis necessitatuum carnarium, habens in se semen secundum similitudinem, ut ex sua infirmitate compatiatur ad subveniendum indigentibus. Producens et lignum forti robore, et fructiferum, id est beneficium ad eripiendum eum qui injuriam patitur de manu po-

<sup>a</sup> Augustinus de Gen. ad litt.; lib. imperfect., cap. 10.

<sup>b</sup> Isidorus in Gen., c. 2.

A tentis, præbendo protectionis umbraculum valido robore justi judicii. Sequitur:

*Vocavitque Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellari maria (Genes. 1, 10).*

Hieronymus in libro Quæstionum Hebraicarum. Notandum quod omnis congregatio aquarum, sive salsa sint sive dulces, juxta idioma linguae hebraicæ, maria nuncupentur. Frustra igitur Porphyrius evangelistas ad faciendum ignorantibus miraculum, eo quod Dominus super mare ambulaverit, pro lacu Genesareth mare appellasse calumniatur, cum omnis lacus et aquarum congregatio maria nuncupentur. Sequitur:

*Et vidit Deus quod esset bonum, et ait : Germinet terra herbam virentem, etc., usque et factum est ita (Gen. 1, 11).*

*Ei protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum.* <sup>c</sup> Quid hoc loco per herbam, nisi bona operatio ponitur; licet in conditione mundi ita historice factum teneamus: terram tamen ecclesiam figurasse non inconvenienter accipimus, quæ in eo germinavit herbam virentem, in quo ad verbum Dei secunda misericordie opera protulit. Sequitur:

*Lignumque faciens fructum juxta genus suum.* Et habens unumquodque semen secundum speciem suam (Gen. 1, 11). <sup>d</sup> Lignum secundum suam speciem semen producit, cum mens nostra ex se considerationem in alterum colligit, et recti operis germen parit. Hinc quidam sapiens dicit: *Quod tibi non via fieri, alii ne feceris* (Tob. iv, 16). Hinc in Evangelio dicit: *Quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (Math. vii, 12); ac si aperte diceret: Speciem vestram in alterum respicite, atque ex vobismetipsis cognoscite quid vos oporteat aliis exhibere. Et sicut superius diximus terram significare ecclesiam, quæ et verbi nos pabulo reficit, et patrocinii umbraculo custodit. Quæ et loquendo pascit, et opitulando protegit, ut non solum herbam refectionis proferat, sed etiam cum fructu operis arborem protectionis.

## AUGUSTINUS.

*D. Cum dixerit Deus, germinet terra herbam virentem et adserentem semen et ligna fructifera; ligna infructuosa vel spinas et tribulos quando fecit?*

*M. Simul omnia Deus fecit, dicente Scriptura: Qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Nullatenus igitur dicenda sunt infructuosa ligna, quæ aliquo modo hominibus adferunt adjumenta. Quæ et revera si non invenimus in eis aliquid ad edendum, invenimus aliquid ad medicamentum, invenimus ad adjutorium. Nam quantæ utilitates sint in eis, ipse considera. Fructifera ligna ex fruendo dieta sunt, si ab omni ligno possimus habere adjutorium; jure nullum lignum dicimus infructuosum. Tribulos vero et spinas quamvis post peccatum hominis nascantur

<sup>c</sup> Greg., lib. xxix Moral., c. 2.

<sup>d</sup> Greg., lib. v Moral., cap. 35.

ad laborem, dicente Scriptura: *Spinas et tribulos pariet tibi*; tamen non est dicendum tunc ea aboriri ex terra, quia jam erant utique ad pastus pecorum ac volatilium facta, non ad augendum hominis pœnam producta.

*Viditque Deus quod esset bonum, et factum est vespera et mane dies tertius (Gen. 1, 13).*

Quotiens tibi hoc verbum occurrit, memento sententiae primi diei, quam posuimus ita: Si sic subito Deus vidit lucem, quod esset bona, etc.

#### INCIPIT DE DIE QUARTA,

*Dixit etiam Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, et illuminent terram (Gen. 1, 14).*

*D.* Non antea tempora fuerunt?

#### IN HEXAMERON.

*M.* Quis non videat quam obscure positum sit quarto die cœpisse tempora, quasi superius triduum sine tempore præterire potuerit, qui suæ tamen creationis tempus habuerunt, siderum tamen distinctione illud triduum non habuerunt. <sup>a</sup> Qualis etiam luna facta sit, utrum prima, an plena, multi loquacissime inquirunt. Sed plane dicam, sive primam sive plenam lunam Deus fecerit, fecisse perfecit. Omnis autem res quicquid progressu naturali per tempora congrua quodammodo prodit atque explicat, etiam ante continebat occultum, et si non specie vel mole corporis, vi tamen et ratione nature; nisi forte arbor quæ per hiemem pomis vacua solisque nudata est, tunc imperfecta dicenda est. Nonnulli etiam multas stellas vel aquales soli, vel etiam majores audent dicere, sed longius positas parvas videri. Et si ita est, cur istas per signa circumeuntes amplius venerantur? cur non eas signorum dominas esse perhibent? Etenim si regadationes illas siderum, vel fortasse tarditates non a sole fieri quisque contendat, sed aliis occultioribus causis, soli tamen isto in suis deliramentis quibus vim fatorum a veritate devii suspicantur, præcipuam tribuere potestatem ex libris eorum certe manifestum est. Quia vero terrenis et corporalibus illa corpora non ad ea quæ ipsi tractant potentiora sunt, vel hiuc aliquando cognoscant, quia cum multa corpora diversorum generum, vel animantium, vel herbarum et arbustorum, uno simul puncto temporis seminentur, unoque puncto temporis innumerabilia multa nascantur, non tantum diversis, sed etiam hisdem terrarum locis tantæ sunt varietates in progressibus, in actibus et passionibus eorum, ut vere isti, sicut dicitur, perdant sidera, si ita considerent. Fatendum ergo est, quando ab his vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cum ad decipiendos homines sit, spirituum seductorum operatio est, quibus quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim subtilioris sensus acumine, quia corporibus subtilioribus vigent, partim experientia callidiore, propter tam magnam

<sup>a</sup> August., lib. II de Genesi ad litt., c. 15.

<sup>b</sup> Isid., Comment. in Genes., cap. 2.

A longitudinem vitæ; partim a sanctis angelis, quod ipsi ab omnipotente Deo discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ sinceritate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi spiritus etiam quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt. Sequitur:

*Fecit quoque Deus duo magna luminaria; luminare majus ut præcesset diei, et luminare minus, ut præcesset nocti, et stellas, et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, et præcessent diei ac nocti, et dividenter lucem ac tenebras (Gen. 1, 16).*

*D.* Quomodo ista secundum sensum intelligenda sint, quæso ut dicas?

#### ISIDORUS.

*B* M. <sup>b</sup> Quarta namque die emicuerunt luminaria firmamento legis infixa, id est evangelistæ, doctores, <sup>c</sup> Scripturam sanctam disputando cohærentes, et omnibus inferioribus lumen sapientiæ demonstrantes; prodiit etiam simul et cætera micantum siderum turba, id est diversarum virtutum in ecclesia numerositas, quæ in hujus vitæ obscuritate tamquam in nocte resurgentib; dividunt in hoc firmamento scripture sensibilia et intelligibilia, quasi inter lucem perfectorum, et tenebras parvulorum, et sunt in signis virtutum et miraculorum; sunt etiam in tempora, et dies, et annos, quia prædicatores propriis temporibus vivunt et transeunt; verbum autem Domini stabit in æternum.

*D.* Cur primo terra germinaverit, deinde sint facta luminaria?

*C* M. Quia post opera bona venit illuminatio lucis ad contemplandam speciem divinæ virtutis.

*Et vidit Deus quod esset bonum, et factum est vespera et mane dies quartus (Gen. 1, 18).*

*D.* Cur vespera vel mane nominavit, de nocte autem nihil indicavit?

*M.* Quid ergo aliud noctem dicamus, nisi absentiæ lucis, quæ inter vesperam et mane restare videbatur? An quia prima lux angelicam significavit creationem, qui contemplando creatorem suum, cum concordissima caritate, sine cœcitate ignorantiae creatorem in perpetuum laudare non cessant. Sed tamen initio operis et fine lucide cognoverunt quod vespera et mane vocatur.

#### INCIPIT DE DIE QUINTA.

*Dixit etiam Deus: Producant uque reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli (Gen. 1, 20).*

*D.* Quid ergo est quod prius ornavit aquas de reptilibus, antequam terram de animalibus.

#### AMBROSIUS IN HEXAMERON.

*M.* Ratio namque erat, ut quæ prius visibilis apparuit, prius etiam ornatum suum reciperet. Aut quia in principio cœlum recepit ornatum suum, id est de angelis quando creati fuerunt. Similiter autem et terra, quando eam de herbis vel de arboribus

<sup>c</sup> In editis, *Scripturæ sanctæ*.

vestivit. Ratio enim erat, ut aquæ reciperent ornamen-  
tum suum de reptilibus, vel aer de volatilibus.

**D.** Quid est enim, quod sepe legimus de creatura  
cœli et terræ et maris, similiter quando creati sunt,  
vel quomodo, de aere autem nihil indicavit?

**M.** \* Non enim arbitrandum, ut ullum elementum  
in hac scriptura prætermisisset, nisi quia consuetudo  
est divinæ Scripturæ, cœlum et terram totum mun-  
dum appellare, et ideo estimandum est aerem ad  
cœlum et terram pertinere. Et quidquid est humi-  
dum, vel vaporaliter expansum, hoc ad terram per-  
tinet: quidquid vero tranquillum et quietum est, ad  
cœlum pertinere dicitur. Et quod ita sit aer aquæ  
similis, et ex ejus halationibus pinguescere probatur,  
ita ut spiritum procellæ faciat, id est nebulam. Aer  
namque cœlo, in quo sunt luminaria, ita vicinus est,  
ut et ipse cœli nomen accipiat. Nam cum dicitur in  
psalmo: *Laudate eum, cœli cœlorum* (*Psal. cxlviii,*  
**4**), satis appareat hunc aerem non solum cœlum, sed  
etiam cœlos dici, sicut dicuntur et terræ, cum una  
sit. Hos etiam aereos cœlos quondam periisse dilu-  
vio, in quadam earum quæ canonice nuncupantur  
epistola legimus, quod nescio quemadmodum possit  
intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioribus  
aeris qualitatem conversam. Oportebat ergo ut in  
creandis habitatoribus inferioris hujus mundi par-  
tis, qui sepe terra nomine tota commemoratur,  
prius producerentur ex aquis animalia, postea vero  
de terra, et quod ita, ut jam supra diximus, sit aer  
aque similis, ut ex ejus halationibus pinguescere  
probetur. Ac per hoc non scriptum est: Producant  
aque reptilia animalium vivarum, et producat aer  
volatilia volantia super terram; sed utrumque hoc  
animalium genus ex aquis productum esse nar-  
ratur. Quidquid ergo aquarum sive labiliter undosum  
et fluidum est, sive vaporaliter tenuatum atque sus-  
pensum, ut illud reptilibus, hoc volatilibus appareat  
distributum, utrumque tamen humidæ naturæ de-  
putatur. Et ideo sunt qui subtilissima consideratione  
quinque istos corporis sensus, secundum quatuor  
asitata elementa distinguunt, ut oculos ad ignem,  
aures ad aeren, purum dicant pertinere; olfactum  
autem ad aerem humidum, gustum vero ad corpu-  
lentes humores, tactum ad elementum terrenum;  
ac per hoc elementa omnia in omnibus esse, sed  
unumquodque eorum ex eo quod amplius habet acce-  
pisse vocabulum. Ideo autem caloris privatione,  
cum corpus nimie frigescit, obtundi sensum; quia  
motus pigrescit qui ex calore inest corpori, dum  
ignis aeren, et aer humida, et humor terrena  
quaque afficit, subtilioribus scilicet crassiora pe-  
netrantibus. Quanto autem quidque subtilius est in  
natura corporali, tanto est vicinus naturæ spirituali.  
Anima tamen cui sentiendi vis inest, cum corpore  
non sit, per subtilius corpus agitat vigorem sen-  
tiendi. Habet itaque motum in omnibus sensibus  
per subtilitatem ignis, sed non in omnibus ad idem  
pervenit. In visu enim pervenit represso calore

\* August., lib. iii de Genesi ad litt., e. 4 seqq.

**A**busque ad ejus lucem. In auditu usque ad liquidiorum  
aerem. In olfactu transit ad aerem purum, et per  
venit ad humidam exhalationem unde crassior haec  
aura subsistit. In gusto et hanc transit, et pervenit  
usque ad humorem corpulentiorum. Quo etiam pe-  
netrato atque trajecto, cum ad terrenam gravitatem  
pervenit, tangendi ultimum sensum agit. Non ergo  
ignorabat naturas elementorum, qui prius coelestia  
luminaria, deinde aquarum animantia, terrarum  
autem postrema narravit, non quod aerem præter-  
misserit, sed quia puriorum partem ejus cœlo, pin-  
guorem vero terris nuncupat. Quod enim et tactu  
aquas ventosque sentimus, hoc est quod terræ soli-  
dum omnibus admiscetur elementis. In cœlo ergo  
volant aves, sed isto quod psalmus etiam terræ  
nomine includit. Non ita in firmamento, sed secun-  
dum firmamentum. Nec ignoro quosdam philosophos  
sua cuique elemento distribuisse animalia, ut terrena  
esse dicerent non tantum quæ in terra repunt atque  
graduntur, sed aves etiam quod et ipse in terra  
requiescant volando fatigatae; aerea vero animalia  
dæmones esse, coelestia deos, quorum quidem nos  
partim luminaria, partim angelos dicimus. Aquis  
tamen pisces et sui generis bellugas tribunt, ut  
nullum elementum suis animalibus vacet. Distri-  
buuntur enim elementa ad patientem duo, humor  
et humus; ad faciendum autem alia duo, aer et ignis.  
Aer namque a coelino luminosi cœli usque ad  
aquarum fluida et nuda terrarum pervenit. Non ta-  
men totum spatium ejus exhalationes humidæ insu-  
scant, sed usque ad eum linem unde incipit jam terra  
nominari, sicut in psalmo, *Laudate Dominum de terra*  
(*Psal. cxlviii*, 7). Superior vero pars aeris propter  
puram tranquillitatem cœlo cui conlimatur, communi-  
pace conjungitur, et ejus vocabulo connuncupatur; in  
qua fortassis parte, si fuerunt ante transgressionem  
suam transgressores angeli cum principe suo, nunc  
diabolo tunc archangelo, nonnulli nostri eos putant  
coelestes vel super coelestes angelos fuisse: non  
mirum si post peccatum in istam sunt detrusi cali-  
ginem. Ubi tamen et aer sit et humore tenui conte-  
natur, qui commotus ventos et vehementius concitatus  
etiam ignes, et contractus nubila, et conspissatus  
pluviam, et congregantibus nubilis nivem, et turbu-  
lentius congregantibus densioribus nubilis grandinen.,  
et distentus serenum facit, occultis imperiis et  
opere Dei a summis ad insima universa quæ creavit  
administrantis. Sed ut jam diximus, aer ex aqua  
fit, in aere enim volatilia cœli consistunt, unde aves  
cœli nominamus, et dæmones in aere habitare di-  
cuntur, et propterea eos suffert aer sustinere, quia  
aeream imaginem utuntur, et exinde impugnant  
humanum genus, quia statim quando creati fuerunt,  
de conspectu Dei projecti sunt. Unde Salvator in  
Evangelio ait: *Vidi Satanam sicut fulgur cudentem  
de cœlo*. Ubi juste quærerit quomodo cadere dicitur,  
si non stetit. Sed sciendum, quia non perseveravit  
in consortio sanctorum angelorum: sed statim quam

cito scipsum aspergit in claritate Dei, exerit se in superbiam, et dixit : *Ascendam in cælum, et supra astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo (Isa. xiv, 14).* Et statim projectus est de altitudine cœli in aerem cum omnibus satellitibus suis, quia non perstiterunt in divino amore, sicut illi qui firmati sunt, ut si velint peccare, non possint, quia ipsi in principio proprium arbitrium habuerant sicut genus humatum videtur habere. Illi autem de proprio arbitrio lapsi, sententiam Deli acceperunt, ut si velint reparari, non possint.

*D. Iterum dixit Deus, ille ab initio homicida fuit et in veritate non stetit (Joan. viii, 44). Cur homicida?*

*M. Quia primum Adam jugulavit in paradyso, quando poma edere suasit, et de immortalitate [Forte immortalis] factus est mortalitas, et propterea humatum genus usque ad adventum Salvatoris jugulavit.*

*D. Quomodo in veritate non stetit?*

*M. Quia non meruit accipere, quod ei promissum fuerat, ut cum creatore suo in perpetuum cum reliquis angelis permanisset; sed projectus est in terram cum suis. Ubi sine dubio poena patiuntur, quia in aere ignis sidereus eis dominatur, et sibi pro genere suo quasi quidam carcer deputatus est, quoque veniat tempus diei judicii, ut in ignem mittantur aternum. Sequitur :*

*Creativus Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem, quam producuerant aquæ in species suas et omne volatile juxta genus suum (Gen. i, 21).*

*D. Nosce capio quando minimi pisces vel animalia, sive vermiculi quos Scriptura non mensinit, creati fuerunt. Et dum ratio inquirenda est ab elephanto maximo usque ad vermiculum minimum unde veniant, dum Scriptura hic nihil indicavit.*

*M. Intelligendum enim est, quod quando Deus separavit aquas ab aquis, tunc minima animalia quæ de aquis efficiuntur, in ipsis aquis natura illorum consistebat; et illi vermes qui in corporibus mortuorum sunt, in ipsis corporibus eorum habent vigorem nascendi, et pisces de aquis procreantur, dum dicit. Producant aquæ reptile animæ viventis.*

*D. Si aqua tegebat terram, an terra aquam queso ut dicas.*

*M. Aqua tegebat terram; quasi aliqua pars terræ elapsa fuerit super aquam, statim erupta est aqua, et in locum suum terra revertitur.*

*D. Quomodo in psalmo dicit quia ipse super maria fundavit eam, et super flumina preparavit eam (Psal. xxiii, 2), si aqua terram tegebat?*

*M. De altiori terra hoc dicit, ubi montes esse videuntur, aut de insulis illud dictum est, ubi terra altior est quam aqua. Sed magis hoc secundum sensum intelligendum est, quia simplices in Ecclesia*

<sup>a</sup> *Hæc non videtur dicere sanctus Ambrosius lib. vi in Exameron, cap. 6, ubi solum ait venenosa ani-*

*A super prudentes fundati sunt. Vivæ itaque aquæ dicuntur illi, quia sustentant eos quos inferiores vel infirmiores se esse conspicunt, quia quantum est inter lunam et sidera cœli, tantum est inter sanctam rusticitatem, et sanctam simplicitatem. Sequitur :*

*Benedixitque eis dicens : Crescite et multiplicamini et replete aquas maris (Gen. i, 22).*

*D. Quare ista animalia benedictionem accepere meruerunt sicut et homo?*

*M. Id est, ut intelligamus istam benedictionem in ceteris animalibus permanere.*

*Avesque multiplicentur super terram et factus est vesper et mane dies quintus.*

#### INCIPIUNT QUÆSTIONES DE DIE SEXTA

*Dixit quoque Deus, Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta et reptilia et bestias terre, secundum species suas : factumque est ita (Gen. i, 24).*

*AMBROSIUS.*

*D. Quærendum nobis est si ista animalia venenosa in principio quando creata sunt, venenosa habuerunt sicut nunc.*

*M. Hoc procul dubio sciendum quia sicut una creata fuerunt, ita permanent; sed tamen in principio nocendi non habuerunt potestatem, a sicu probare possumus de serpentibus. Quando viperæ invaserunt manum Pauli, et nihil ei nocuit, quia potestatem habuit invadendi, nocendi autem non habuit potestatem. Similiter de bestiis quando Daniel missus fuit in lacum leonum, tunc leones nihil illi nocuerunt; aut propterea ista animalia venenosa creata fuerunt ad terrendum hominem, quem Deus prescribat potestam, ut intelligeret poenas infernales, quia alibi dicit : *Vermes eorum non moriuntur, et ignis eorum non extinguitur (Marc. ix, 44).* quoniam omnem bestiam inter se semetipsas nocerent, dum de originali peccato non habent unde eis vindicta tribuatur.*

*AMBROSIUS.*

*De creatione hominis.*

*Et vidit Deus quod esset bonum et ait : Faciam hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Et fecit Deus hominem ad imaginem Dei (Gen. i, 26).*

*D. Hoc primum breviter dicimus non indifferenter accipiendum, quod in aliis operibus dicitur, dicit Deus, Fiat, hic autem dixit Deus, Faciamus.*

*M. ▶ Ad insinuandum, ut ita dicam, pluralitatem personarum, propter Patrem et Filium et Spiritum sanctum, quam tamen deitatis unitatem intelligendam statim admonuit dicens : Et fecit Deus hominem ad imaginem suam. Hic etiam illud non est pretereundum, quia cum dixisset ad imaginem nostram, statim subjunxit, et habeat potestatem piscium maris et ceterorum animalium rationis experientum. Ut vide-licet intelligamus hominem in eo ad imaginem Dei factum, in quo irrationalibus animalibus antecessit. Id autem est ipsa ratio exorta vel mens vel intelligentia. Licet enim subtilissime disseratur ipsam mentem hominis in qua factus est homo ad animalia ad terrendum homines creata esse a Deo.*

<sup>b</sup> *Aug., lib. iii de Gen. ad litt., c. 19.*

nem Dei, quādam scilicet rationalem vitam distribui in æternæ contemplationis veritatem, et in rerum temporalium administrationem; atque ita fieri quasi masculum et feminam, illa parte conscente, illa obtemperante. In hac tamen nos recte dicitur: *imago Dei*, nisi illud quod inhaeret contemplandæ incomparabili Veritati, in cajus rei figura Paulus apostolus virum tantum dicit *imaginem et gloriam Dei*.

## ALIBI ISIDORUS.

*Et fecit Deus hominem ad imaginem suam, id est ad æternitatem et immortalitatem. Ad similitudinem vero, ut intellectum mentis habuisset, non ut animalia, qui nesciunt discernere inter bonum et malum.*

## ITEM AUGUSTINUS.

**D.** *Quid sibi vult intelligi quod legitur in Genesi: Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

**M.** *In mente scilicet, id est in ratione et intelligentia. Ipsa itaque mens dum cogitat ea quæ æterna sunt, *imago Dei* dicenda est; cogitando æterna, vir est, sicut dicit apostolus Paulus: *Vir non debet velare caput suum* (*I Cor. xi, 7*), cum sit *imago gloriae Dei*; id est quantumcumque se extenderit in id quod æternum est, tanto magis inde formatur ad *imaginem Dei*; et ideo non est cohibenda, ut se inde contineat ac temperet. Quando vero ea agit vel cogitat quæ sunt temporalia, mulier appellatur, tunc non est dicenda *imago Dei*, et propterea debet velare caput suum, ne inimicum sit ad inferiora progressio, ne cum licita agit, illicita concupiscat.*

**D.** *Et creavit Dominus Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum; masculum et feminam creavit eos* (*Gen. i, 27*). Quid est enim quod feminam dicit creare cum masculo, quæ adhuc formata non erat?

**M.** *Quia de Adam processura erat. Sic etenim in semente arboris multa occultantur; primo igitur in radice figuratur, deinde in qualitate arboris, postea in effusione ramorum, et exinde in viriditatem foliorum et cætera. Ita et femina in corpore Adæ latebat, quia de costa ejus fabricanda fuit. Sequitur.*

*Et benedixit eis dicens: Crescite et multiplicamini et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris et volatilibus cœli, et universis animalibus quæ moventur in terra* (*Gen. i, 28*).

**D.** *Quare homo istam benedictionem accipere meruit?*

**M.** *Ne incipiri videretur in procreandis filiis, ut declararet nullum exinde peccatum habere, si legitime nuberetur.*

**D.** *Si ergo Adam talis est creatus ut immortalis permaniceret, cur eis dicitur: Crescite et multiplicamini?*

**M.** *Hoc namque intelligendum quia non secundum concupiscentiam carnis, neque ulla mala voluntate debuerunt filios procreare, nec sicut non in dolore pariunt filios, sed sicut quisque imperat membra sua aliquid exercere, vel manum in ope-*

**A** rando, vel pedem in ambulando, ita et illi debuerunt in paradiso fetus procreare.

**D.** *Si autem sic debuerunt fetus procreare, quia est quod in paradiso antequam projecti fuissent non coierunt simul ut filios procreassent?*

**M.** *Quia mox creata mulier trangressa est, et de alia immortalitate in ima profundi projecta est.*

**D.** *Quomodo ergo corpora illorum mutari debuerunt, si illi immortales permanerent?*

**M.** *Id intelligendum, quia si non peccasset, mori omnino non possent, sed corpora illorum sine mortalitate, posquam numerus ille impletus fuissest, juxta numerum angelorum in melius commutari debuerunt.*

## AUGUSTINUS.

**B** **D.** *Primus homo mortalis factus est an immortalis?*

**M.** *Mortalis secundum alia et immortalis secundum alia. Tale ergo corpus habebat primus homo, quale et nos, sed sine peccato. Non enim habebat legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, quod utique meruit post prævaricationem. Igitur animale corpus habuit Adam, sed ut non senesceret nec desiceret per illius ligni virtutem quo sustentabatur, quod in paradiso vitæ nomen acceperat; quapropter si Dei præceptum servasset, obedientie merito in illud corpus spiritale, quale sanctis in resurrectione promittitur, postmodum commutandum. Ac per hoc poterat non mori, si Dei pietate obedientie cohæsisset. Non enim factus fuerat, ut non possit mori, sicut et ceteræ naturæ, quæ omnino mori non possunt, sed ita ut obedientia immortalem, inobedientia mortalem faceret.*

## Item.

**D.** *Si Adam immortalis aut mortalis fuit; et si mortalis quomodo immortalis? et si animalis quomodo spiritalis? aut quare cum cæteris animalibus in commune cibum sumpsit?*

**M.** *Mortalis erat et immortalis. Mortalis erat quia potuit mori; immortalis quia potuit non mori: quia si non peccasset, mori omnino non petuisset, postquam autem peccavit, mortalis factus est.*

## Iterum.

**M.** *Mortalis erat et immortalis. Mortalis erat sua conditione, immortalis Dei beneficio quod ei prestabatur a ligno vitæ, a quo ligno cum peccasset, projectus est ut petuisset mori.*

**D.** *Quid ergo est quod nos, qui per Christum regnati sumus, ipsam immortalitatem non accepimus, quam Adam habuit ante peccatum?*

**M.** *Non enim hoc accepimus quod in Adam perdimus, id est corpus animale; sed tanto melius accepimus, quanto spiritalis corporali preponitur. Unde ait Apostolus: *Seminatur corpus animale, surgit corpus spiritale* (*I Cor. xv, 44*); non enim recepimus immortalitatem corporis spiritalis, sed recepimus justitiam, de qua per peccatum lapsus est Adam, de qua etiam dicit Apostolus: *Renovamini igitur spiritu mentis vestræ, et induite novum ho-**

minem, qui secundum Deum creatus est in justitia A et sanctitate veritatis (Ephes. iv, 23, 24). Renovabimur igitur a vetustate peccati, non in pristinum corpus animale, in quo fuit Adam, sed in melius, id est in corpus spiritale, cum efficiamur [Forte, efficiemur] aequales angelis Dei cœlesti habitatione. Renovabimur etiam spiritu mentis nostræ secundum imaginem ejus qui creavit nos, quam peccando perdidit Adam. Renovabimur etiam carne cum hoc corruptibile induerit incorruptionem, et mortale hoc induerit immortalitatem, ut sit spiritale corpus, in quod nondum mutatus est Adam, sed mutandus erat, quia in corpore portamus imaginem terreni hominis, in mente autem imaginem cœlestis. Unde iterum ait Apostolus: *Si est corpus animale, est et spiritale*, sicut scriptum est: *Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem; sed non primum quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis. Qualis terrenus tales et terreni (I Cor. xv, 44-47).* Induamus et imaginem ejus qui de cœlo est. Imaginem autem terreni hominis ab exordio humani generis induimus, imaginem vero cœlestis hominis nunc ex fide portamus, quam habere in resurrectione credimus.

D. Quare non benedixit arbores et herbas, sed hominem et animalia?

M. Ideo namque ista benedixit propter propagandam prolem, aut propter sexum masculini et feminini, aut quia arbores sensum non habent sentiendi vel intelligendi. Animalia sentiunt et non intelligunt, homo quidem sentit et intelligit, ideo arboribus non dixit: *Crescite et multiplicamini.*

*Dixitque Deus, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, etc., usque: Et factum est ita. Vidiisque Deus cuncta quæ fecit et erant valde bona (Gen. i, 29).*

D. Cum Deus omnia bona creaverit, nihilque sit quod non ab illo sit conditum, unde malum?

AUGUSTINUS.

M. Malum natura non est, sed privatio boni hoc nomen accepit: denique bonum potest esse sine malo, malum non potest esse sine bono, nec potest esse sine malo ubi non fuerit bonum, ac per hoc dicimus et angelum bonum et angelum malum. Sed bonum quod angelus, malum quod vitium: bonum quod homo, malum quod vitiosus. Ideoque quando dicimus bonum, naturam laudamus; quando dicimus malum, non naturam, sed vitium quod est bona naturæ deprehendimus.

*Factumque est vespere et mane dies sextus (Gen. ii, 1). Sequitur:*

*Igitur perfecti sunt cœli et terra et omnis ornatus eorum.*

a Aug. lib. vi de Gen. ad litt., c. 24.

b Quæst. Hebr.

## INCIPIT DE DIE SEPTIMA.

HIERONYMUS b.

*Et complevit Deus die sexta opera sua quæ fecit.*

Pro die sexta in Hebræo diem septimam habet.

Artavimus igitur Judæos, qui de otio sabbati gloriantur, quod jam tunc in principio sabbatum dissolutum sit, dum Deus operatur in sabbato, complens opera sua in eo et benedicens ipsi diei, quia in illo universa compleverit.

D. Benedixit, inquit, diei *septimo et sanctificans illum* (Gen. ii, 3). Cur benedixit diem septimum, in quo nihil creavit?

M. Ne forte indigens apparere videretur, sicut homo post laborem fessus dicit: *Deo gratias, perfecti opus meum.* Non enim Deus ita fecit, sed benedixit diei in quo nihil creavit, ut demonstraret quod ei nullus fuit labor cuncta creare, quia tantum dixit Deus *fiat* et facta sunt, et ideo ipse in die septimo requievit, ut nos in ipsis faceret requiescere.

AUGUSTINUS.

D. Cum requies non sit nisi post laborem, cur Deus requiescere dicitur; an et ipse opere fatigatus est, ut requiescere diceretur?

M. Non in aliqua creatura tanquam ejus bono indigens requievit Deus, sed in seipso. Denique nos in aliquo dierum, sed post sexti diei opera requiescere legitur: unde liquido apparet, nullam creaturam Deum per indigentiam, sed sola bona voluntate fecisse. Quod si in aliqua creatura requiesceret, aliquam creaturam indigens faceret. Ergo quia nullam creaturam indigens fecit, in nulla requievit creatura. Nam quod dicit Scriptura requievisse Deum in die septima ab omnibus suis operibus quæ fecit, hoc intelligi posse arbitror, quod non ipso bono indigens, quo sit beatior, requieverit, sed ipsum diem septimum, id est angelicam naturam adduxisse ad requiem suam, ut viderent, scilicet in Deo, sicut omnem formandam creaturam, ita et illud viderent, quod nullam creaturam per indigentiam fecisset, sed sola bonitate. Hoc enim arbitror posse intelligi requiem Dei. Intelligitur et aliter requies Dei, id est, cum nos post bona opera requiescere facit, secundam illum modum quem Deus dicit ad Abram: *Nunc cognovi quod timeas Deum* (Gen. xxii, 12), id est cognoscere te feci. Ita et hic intelligitur requiescere Deus, cum sanctis suis requiem præstat.

Item aliter.

c Requiescere dicitur Deus a condendis novis creaturis, quia post editionem sex dierum operum, nullam deinceps condidit creaturam. Nam quod ait: *Pater meus usque modo operatur et ego operor, non novam condens creaturam intelligitur, sed quam condidit administrando.*

JUNILIUS.

Septimo die requievisse dicitur Deus, non a creando, cum quotidie ex ejus dispositione ac prævidentia omnis creatura renovetur, ut constat. Sed

c Lib. iv de Gen. ad litt., c. 12.

hoc significatum est, quod post illos sex dies, nullam mundo incognitam substantiam speciem aut naturam novam inexpertamque creaverit; dies namque iste primus, ipse est secundus, ipse est novissimus, quia repetitio est diei septimi.

D. Quare non benedixit diem in quo lucem angelicam creavit vel illum in quo omnia perfecit?

M. Non enim sanctificans [Forte, sanctificavit] diem in quo hoc facere inchoavit, neque eum in quo hoc perfecit, ne illis vel faciendis vel factis, actio ejus gaudium fuisse videretur: sed eum in quo ab ipsis in semetipso requievit, et nobis eam per diem septimum ostendit. Ipse tamen illa requie nunquam caruit, sed significans non percipere requietum suum, nisi post perfectionem operis; et ideo in hac die vespera non successisse cognoscitur, quia requies nostra per perfectionem operis sine fine in gaudio erit. Sequitur:

*Istæ generationes cœli et terræ quando creatæ sunt in die quo fecit Dominus cœlum et terram, et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret* (Gen. ii, 4).

D. Inquirenda est ratio si ista omnia in uno die facta fuerunt, aut per sex dies, sicut Scriptura commemorat. Et si per sex dies facta fuerunt, quomodo ergo sancta Scriptura vera est quæ dicit: *Qui vivit in æternum creavit omnia simul* (Eccli. xviii, 1)?

M. Ille namque secundum substantiam rerum simul creavit omnia, nam secundum speciem formæ, non simul creavit omnia; sicut mater infantem nutriendis in gremio suo, expectat ut convalescat, ita Dominus tarditatem humani ingenii expectavit. Nam in principio apud ipsum cuncta creata fuerunt, sed non statim in speciem venerunt. Quando vero dixit: *In principio creavit Deus cœlum et terram*, tunc omnia sicut diximus apud ipsum facta sunt, quidquid [Leg. quæque] de cœlo et terra oritura fuerunt, quamvis per sex dies secundum speciem dividere voluisset, sicut dicit quarto die sidera in cœlo posuisse, tamen primo die apud ipsum in cœlo facta sunt, quæ die quarto in speciem venerunt. Quia sicut in grano sementis multa occultantur, radix, cortex, folia, fructus, vel multa alia quæ de ipsa arbore veniunt, ita apud Deum ista omnia prius occultabantur, quæ postea in speciem venerunt.

D. Ergo si simul omnia creavit, quomodo verum est quod legitur: *Pater meus usque modo operatur et ego operor* (Joan. v, 17).

M. Perspiciat peritia tua, quia quamvis tunc creasset omnia simul, quotidie tamen gubernat in rigando, in plantando, in ædificando, vel in cæteris rebus. Nam sicut homo qui agrum exercet, si illum dimittit, in cultus remanet; ita et mundus a Deo creatus sine Dei gubernatione esse non potest, secundum apostolum Paulum: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed Deus qui incrementum dat* (I Cor. iii, 7).

Alli enim istos septem dies septem dona gratiæ Spiritus sancti intelligere volunt, id est, spiritum sa-

A pientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiæ et pietatis, et spiritum timoris Domini. Dicunt namque per spiritum sapientiæ fecisse Deum cœlum et terram. Per spiritum intelligentiæ fecisse firmamentum et separasse aquas ab aquis. Per spiritum consilii segregasse aquas ab arida, et germinare terram fecisse. Per spiritum fortitudinis posuisse luminaria in firmamento cœli, ut dividerent diem ac noctem. Per spiritum scientiæ ornare aquas de reptilibus et aerem de volatilibus. Per spiritum pietatis vestire terram de animalibus, et hominem creare et cætera quæ sequuntur. Per spiritum timoris Domini die septimo opus suum sanctificasse.

B Ita et nos debemus ista septem dona Spirilus sancti in nobis imitari. Per spiritum namque sapientiæ cœlum et terram facere, id est cœlestia meditari et terrena derelinquere, vel lucem a tenebris separare, id est opera nostra perfecta a tenebris pravorum operum.

Per spiritum intelligentiæ debemus facere firmamentum inter aquas inferiores et superiores, id est disciplinam sanctam inter virtutia et virtutes, ut non declinemus ad virtutem.

Per spiritum consilii debemus aquas separare ab arida, id est homines reprobos ab anima sitienti verbum Dei.

C Per spiritum fortitudinis debemus ponere lumina in firmamento cœli, id est dilectionem Dei et proximi, quia dixit S. Joannes: *Qui odit fratrem suum, in tenebris est* (I Joan. ii, 1).

Per spiritum scientiæ debemus aquas ornare de reptilibus et cætera, id est de arceno cordis nostri vocem ad cœlum mittere; sicut pisces pennulis suis in altum saltum tribuunt, et volucres cœli in aere volitant, ita et nos sensum nostrum ad superiora levare oportet.

Per spiritum pietatis debemus facere serpentes et pecora et cætera, id est, ut simplicitatem ac prudenteriam habeamus discernendi inter bonum et malum; et fructum bonorum operum agentes, qualiter valeamus imitari exempla sanctorum, vel ipsam veritatem ad cuius imaginem facti sumus.

D. Per spiritum timoris Domini debemus requiescere in requie vitæ æternæ, quia *Initium sapientiæ timor Domini est* (Paul. cx, 10).

*Istæ generationes cœli et terræ quando creatæ sunt in die quo fecit Dominus Deus cœlum et terram* (Gen. ii, 4). Superiori septem dies numerati sunt, nunc unus dies dicitur quo fecit Deus cœlum et terram, et omne virgultum agri, et omnem herbam regionis.

M. Hujus diei nomine, secundum prophetiam, omne tempus hujus vitæ significatur, in quo cœlum et terra factum est, id est in quo creaturæ visibles disponuntur, administrantur, atque existunt. Hinc est quod Moyses et distincte per dies singulos condita omnia rotulit, et tamen simul omnia creata subjunxit dicens:

*Iste generationes coeli et terrae quando creare sunt, in A die quo fecit Dominus Deus caelum et terram, et omne virgultum agri antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis. Qui enim diversis diebus creatum coelum et terram, virgultum herbamque narraverat, nunc uno die factum manifestat, ut liquido ostenderet quod creatura omnis simul per substantiam extitit condita, quamvis non simul per speciem processit. Sequitur :*

*Non enim pluerat Dominus super terram, et homo non erat qui operaretur terram : sed fons ascendebat de terra, irrigans universam faciem terrae (Gen. ii, 5).*

AUGUSTINUS.

**D.** Si universam terram rigabat, ergo et montes rigabat, quia montes utique terra sunt ; si montes rigabat, diluvium erat. Et quomodo terra germinaverat herbam virentem et facientem semen ? aut quomodo homo habitabat in terra, si universam terram aqua tegebat ?

**M.** Fons pesitus est singularis pro plurali numero ; hoc enim si sollicite requiras, in Scripturis sanctis frequenter repieres. Habes nempe in psalmo : *Misit in eos muscam caninam et comedit eos, et ranam et exterminavit eos (Psal. lxxvii, 46)*, dum utique nec una musca nec una rana fuerint. Et alibi : *Venit locusta (Psal. civ, 34)*, non ait locustae, sed locusta. En habes singularem numerum pro plurali, secundum illud quod ait nobilissimus poetarum <sup>a</sup> :

....Uterumque armato milite complent.

Porro autem propter unitatem naturae dictum est fons, ut in eo omnes fontes intelligamus qui sunt in terra, quia quodammodo omnes ex unius abyssi natura emanant. Nam quod ait : *irrigabat universam faciem terrae* ; non totam terram rigabat, sed partem. A toto enim partem significat. Quemadmodum dicimus, Christus mortuus est, Christus resurrexit, cum non mortuus fuerit, nec resurgeret nisi secundum carnem. Aut ut Ambrosius ait : Fons appellatus est, qui accepto humoris adjutorio, irrigabat universam superficiem terrae. Aut postquam paradisus plantatus est, restagnata est illa abruptio aquarum, et ille fons divisus est per rivulos, ad irrigandam universam faciem terrae, sicut nunc videmus ire aquas per alveos fluminis, alveosque rivulorum, et ex eorum excessu vicina perfundere loca ; sic et tunc quasi de uno fonte multi processerunt. Aut unus fons appellatus est, et in quodam sinu terrae occultatur, et inde omnes fontes parvi et magni prægrediuntur.

**D.** Quid est enim quod fons iste manifeste non inventitur, qui irrigare videatur universam faciem terre ?

**M.** Forsitan propter peccatum primi hominis parentis nostri Adam iste fons abstractus est, ut auseparat ubertatem a terra, et majorem laborem exerceat humanum genus.

<sup>a</sup> *Ænid. ii, 20.*

ITEM ALIBI ISIDORUS.

**b** Fons ascendebat de terra irrigans universam faciem terrae. Terra, mater Domini virgo Maria rectissime appellatur, de qua scriptum est : *Aperiet terra et germet Salvatorem (Isa. xlvi, 8)*. Quam terram irrigavit Spiritus sanctus, qui fontis et aquæ nomine in Evangelio significatur.

DE INSPIRATIONE HOMINIS.

*Formavit igitur Dominus hominem de limo terra (Genes. ii, 7).*

**D.** Primo enim quod de limo terra Deus hominem fixit solet habere quæstionem, qualis ille limus fuerit, vel quæ materia nomine limi significata sit ? quod quæso mihi quoque aperias.

**M.** Solent enim inimici veterum librorum omnia carnalior intuentes, et propterea semper errantes, etiam hoc mordaciter reprehendere, quod de limo Deus hominem fixit. Dicunt enim : Quare de limo fecit Deus hominem ? an desuerat ei melior et celestis materia unde hominem faceret, ut de labe terra naturam fragilem mortalemque formaret ? Non intelligentes primo quam multis significationibus vel terra vel aqua in Scripturis ponatur. Limus enim aquæ et terræ commixtio est. Dicimus enim tabidum et fragile et morti destinatum corpus humanum post peccatum esse coepisse. Non enim in nostro corpore isti exhorrescant nisi mortalitatem quam damnatione meruimus. Quid autem mirum aut difficile Deo, etiam si de limo istius terræ hominem fecit, tale tamen corpus ejus efficere quod corruptioni non subjaceret, si homo præceptum Dei custodiens, peccare noluisse. Si enim speciem coeli ipsius de nihilo vel de informi materia dicimus factum, quia omnipotenter artifex credimus, quid mirum si corpus, quod de limo qualicunque factum est, potuit ab omnipotenti artifice tale fieri, ut nulla molestia, nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum, et nulla corruptione labesceret ? Itaque superfine queritur unde homini corpus Deus fecerit. Si tamen nunc de corporis formatione dicitur, sic enim non nullos nostros intelligere accepi, qui dicunt postquam dictum est : *Fixit Deus hominem de limo terra*, propterea non additum ad imaginem et similitudinem suam, quoniam nunc de corporis formatione dicitur. Tunc autem homo interior significatur, quando dictum est. *Fecit Deus hominem ad imaginem Dei*. Sed etiam si nunc quoque hominem ex corpore et anima factum intelligamus, ut non abscujus novi operis inchoatio, sed superius breviter insinuati, diligenter retractatio isto sermone explicetur. Si ergo, ut dixi, hominem hoc loco ex corpore et anima factum intelligamus, non absurde de ipsa commixtione limi nomen accepit. Sicut enim aqua terram colligit et conglutinat et continet, quando ejus commixtione limus efficitur, sic anima corporis materiam vivificando, in unitatem concordem format, et non permittit labi et resolvi.

**b** Isid. in Gen., cap. 3.

**D.** • Quærit autem merite potest, causæ ille rationes quas mundo indidit, cum primum simul omnia creavit, quomodo sint institutæ? utrum ut quemadmodum vidimus, euncta nascentia et fruticum et animalium in suis conformatiōnibus atque incrementis pro diversitate generum diversa spatiæ peragrent temporum? aut quemadmodum creditur factus Adam sine ullo progressu incrementorum, virili aetate continuo formarentur, sicut aqua in vinum conversa, et virga in serpenteam. Sed cur non utrumque illas credimus habuisse, ut hoc ex eis futurum esset quod facturo placuisse. Nam multa secundum inferiores causas futura sunt; sed si ita sunt, in præscientia Dei vere futura sunt. Si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt sicut ibi sunt, ubi qui præscit falli non potest. Nam futura senectus dicitur in juvēne, sed tamen futura non est, si ante moriturus est.

**M.** Hoc autem ita erit sicut se habent aliæ causæ, sive mundo contextæ, sive præscientia reservatæ. Nam secundum quasdam futurorum causas moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit xv annos ad vitam (*Isa. xxxviii, 5*), id utique faciens, quod ante constitutionem mundi se facturum esse præsciebat, et in sua voluntate servabat. Ibi enim erat non solum ut ita Adam fieri posset, verum etiam ut ita eum fieri necesse esset. Tamen non facit Deus contra causam, quam sine dubio volens præstituit, quia contra suam voluntatem non facit. Si autem non omnes causas in creatura primitus condita præfixit, sed alias in sua voluntate servavit, non sunt quidem illæ quas in sua voluntate servavit, ex istarum quas creavit necessitate pendentes; non tamen possunt esse contrariæ quas in sua voluntate servavit, quia Dei voluntas non potest sibi esse contraria. Istas ergo sic condidit, ut ex illis esse illud cuius causæ sunt possit, sed non necesse sit. Illas autem sic abscondit, ut ex eis esse necesse sit hoc quod ex istis fecit ut esse possit. Sequitur:

ITEM AUGUSTINUS

**D.** Et fari in faciem ejus flatum vitæ (*Gen. ii, 7*). Quomodo istum flatum recipimus, si Deus incorporeus est?

**M.** • Hoc manifeste sciendum est quia sicut non manibus corporis fixit, ita nec faucibus labiisve sufflavit. Credendum tamen est atque intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse a Deo, tanquam rem quam fecerit, non tanquam naturæ cuius ipse est, sive genuerit, sive quoquomodo protulerit. Non de revolutionibus autem animarum quomodo se habeat vel non habeat philosophorum opinio, catholice tamen fidei non convenerit credere animas pecorum in homines aut hominum in pecora transmigrare. Nam illa quæ feruntur accidisse ut quidam quasi recordarentur in querum animalium corporibus fuerint, aut falsa narrantur, aut Indicationibus demonum hoc in eorum animis factum est. Si enim contingit in

▲ somnis, ut fallaci memoria quasi recordaretur se homo fuisse quod non fuit, aut egisse quod non egit, quid mirum si quodam Dei justo occultoque judicio sinuntur dæmones in cordibus etiam vigilantium tale aliquid posse.

**M.** Manichæi autem, qui se Christianos vel putant vel putari volunt, in hac opinione translationis vel revolutionis animarum eo sunt illis gentium philosophis, vel si qui alii vani homines hoc putant, detractores et detestabiliores, quod illi animæ naturam a Dei natura discernunt. Isti autem, cum aliud nihil esse dicant animam quam ipsam Dei substantiam, atque id omnino quod Deus est, non trepidant enim tam turpiter commutabilem dicere, ut nullum sit herbe seu vermiculi genus, ubi eam non esse commixtam, vel quo revolvit non posse mirabili opinentur insanis. Proinde quoniam pars cerebri anterior, unde sensus omnes distribuantur, ad frontem collata est, atque in facie sunt ipsa quasi organa sentiendi, ideo scriptum arbitror, quod in faciem Deus sufflaverit hominis flatum vitæ. Anterior quippe pars posteriori merito præponitur, quia et ista dicit, illa sequitur, et ab ista sensus, ab illa motus est, sicut consilium præcedit actionem. Et quoniam corporalis motus qui sensum sequitur, sine intervallis temporum nullus est, agere autem intervalla temporum spontaneo motu nisi per adjutorium memorie non valemus; ideo tres tanquam ventriculi cerebri demonstrantur. Unus anterior ad faciem, a quo sensus omnis; alter posterior ad verticem, a quo motus omnis; tertius inter utrumque, in quo memoriam vigere demonstrant; ne cum sensum sequitur motus, non connectat homo quod faciendum est, si fuerit quod facit oblitus. Unde ergo sit ipsa, id est de qua velut materia Deus hunc flatum fecerit que anima dicitur, dum quæritur, nihil corporeum de! et occurtere; sicut enim Deus omnem creaturam, sic anima omnem creaturam corpoream naturæ dignitate præcilit; per lucem enim et aërem quæ in ipso quoque mundo præcellentia sunt corpora, magisque habent faciendi præstantiam quam patienti corporulentiam, sicut humor et terra, tanquam per ea quæ spiritui similiora sunt corpus administrat. Nuntiat enim aliquid lux corporea: cui autem nuntiat, non est hoc quod illa, et haec est anima cui nuntiat, non illa quæ nuntiat. Et cum affectiones corporis moleste sentit, actionem suam qua illi regendo adest, turbato ejus temperamento impediri offenditur, et haec offensio dolor vocatur. Et aer qui nervis infusus est, parat voluntati ut membra moveat, non autem ipse voluntas est. Namque aliud esse animam, alia haec ejus corporalia ministeria, vel vasa, vel organa, vel si quid aptius dici possunt. Hinc evidenter elucet, quod plerumque se vehementi cogitationis intentione avertit ab omnibus, ut præ oculis patentibus recte valentibus multa posita nesciat. Nam et obliviscitur aliquando, et unde veniat et quo eat, et transit imprudens villam quo tendebat, natura sui corporis

► Aug., lib. vi de Gen. ad litt., cap. 11, 17 seqq.

• Aug. de Gen. ad litt., cap. 14.

sana, sed sua in aliud evocata. Omne quippe corpus in omne corpus mutari posse credibile est, quodlibet autem corpus mutari posse in animam credere absurdum est. Illud vero videamus utrum forsitan verum esse possit, quod certe humanæ opinioni tolerabilius mihi videtur, Deum in illis primis operibus, quæ simul omnia creavit, etiam animam creasse causaliter, secundum quam fieret cum faciendum esset corpus humanum. Nam neque illud quod dictum est, *ad imaginem suam*, nisi in anima; neque illud quod dictum est, *masculum et feminam*, nisi in corpore recte intelligimus. Credatur ergo si nulla Scripturarum auctoritas seu veritas contradicit, hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem causa in elementis mundi, anima vero jam ipsa crearetur. Sicut cum primus conditus est dies, et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando formato ex limo corpori insereret. Quod si ita est, fatebimur non in eo rerum genere animam primitus creatam ut esset praescia futuri operis sui vel justi vel iniqui. Neque enim ex his tantum laudandus est Deus, quibus praescientiam dedit, cum recte laudetur etiam quia pecora creavit, quibus est natura humana praestantior, etiam in ipsis peccantibus. Natura quippe hominis ex Deo est, non iniquitas qua se ipse involvit, male utendo libero arbitrio, quod tamen si non haberet, in natura rerum minus excelleret. Cogitandus est quippe homo juste vivens, etiam non praescius futurorum, et ita videndum est, excellētia voluntatis bone quam non impediatur ad recte vivendum et qui placendum <sup>a</sup>, quod ignarus futuri vivit ex fide. Hujusmodi ergo creaturam quisquis esse nolit in rebus, contradicit Dei bonitati; quisquis autem pœnas eam non vult luere pro peccatis, inimicus est æquitati. His enim omnibus divinæ Scripturæ testimoniis, quam esse veracem nemo dubitat, nisi infidelis et impius; ad illam sententiam ducti sumus, ut diceremus Deum ab exordio sæculi primum simul omnia creavisse; quedam conditis jam ipsis naturis, quedam præcognitis causis, sicut non solum præsertia, verum etiam futura fecit Omnipotens, et ab eis factis requievit, ut eorum deinceps administratione atque regimine crearet etiam ordines temporum et temporalium. Nunc tamen de anima quam Deus inspiravit homini sufflando in ejus faciem, nihil conûrmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei, et sit incorporeæ; id est, non sit corpus, sed spiritus; non de substantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus a Deo; nec ita factus, ut in ejus naturam natura illa corporis vel irrationalis animæ verteretur.

#### RELIQUE QUÆSTIONES DE NATURA ANIMÆ.

**D.** *Insuffavit in facie ejus spiraculum vita.* Per spiraculum vitæ quid intelligere debemus?

**M.** Illoc est animam facere, sicut per Isaiam dicit: *Spiritus ex me procedit, et Omnem flatum ego feci* (*Isa. LVI, 16*).

<sup>a</sup> Apud Augustinum, lib. vii *De Genesi ad litteram*, c. 26, legitur, *Et Deo placendum.*

**A** **D.** Quid est enim quod anima, quæ innocens creata est, in corpus introivit, quod Deus præsciebat pecatum?

**M.** Absit hoc recipiendum, ut propterea anima creata fuisset, ut in corpus quod Deus præsciebat peccatum introisset, et ad hoc reservata esset quia si sic esset, Deus auctor peccati fuisset; sed non est ita. Magis autem intelligendum atque recipiendum, quod Deo inspirante, ipsa voluntaria introisset in corpus administrandum ipsum, quia per animam sentitur corpus, quia si anima non est, corpus mortuum est.

**B** **D.** Quid ergo est anima? aut si est aliqua res unde animæ flant, quid ipsa est? quod nomen ejus? quæ species? quem usum in rebus conditæ tenet? vivit, an non? Si vivit, quid confert universitatis affectibus? beatamne vitam ducit, an miseram? Quid ergo anima? cœlum non est, neque terra, neque aer, neque ignis, non aqua, non Deus, non sidera, non visus, non auditus, non gustus, vel cetera, quo *i* enumerare longum est, quæ in cœlo sunt et in terra. Unde ergo est anima?

**M.** Anima ex Deo data est et ex nihilo facta, quia homo qui de terra factus est, in terram revertitur. Similiter nives et procellæ, quæ ex aqua flunt, et aer sumit de terra, in aquam revertuntur, et iterum de terra ex qua sumpta sunt in aerem. Anima vero non habet ullum elementum ad quod revertatur, nisi ad creatorem suum postquam de corpore exierit, ut ipso moderante recipiat quod meretur.

**C** **D.** Inquirenda est ergo ratio unde homini anima veniat quando nascitur?

**M.** Alii dicunt quod sicut caro de carne nascitur, ita anima de anima nascatur; sed hoc Scriptura non narrat ullo loco, unde anima homini veniat quando natus est, neque de ipsa anima mulieris, quomodo ei data fuisset, sicut narrat de carne quomodo facta est.

Alii vero melius sentiunt, quod unicuique homini anima a Deo data sit, quando natus est, sicut in Isaia scriptum est: *Spiritus ex me procedit, et omnem flatum ego feci* (*Isa. LVII, 16*), id est omnem animam. Et sicut in psalmo scriptum est: *Qui finxit singillatim corda eorum* (*Psal. XXXII, 15*). Et alii temerarie dicunt, quod tunc animæ omnium creatæ fuissent, quando simul omnia tecit, et in quodam loco occultantur, donec homo natus sit, et tunc ei data sit anima ex Deo. Sed hoc non est in rebus nostris considerandum quid vel sinat, vel non sinat, quomodo anima data sit homini: quod Scriptura non narrat ullo loco, nos non possumus discernere quod veritas tacuit, et nihil aliud sonat Scriptura de hac re, nisi hoc tantum, quomodo anima a Deo data sit.

**D.** Ergo Salvator noster unde habuit animam?

**M.** Non de Adam, sed unde Adam, id est ex Deo, quia quamvis de propagine peccati descenditerit, tamen de propagine peccati non concepit, quia nec

ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati.  
Non enim inde accepit reatum moriendi.

**D.** Et anima, quando de hoc corpore migraverit,  
est corporalis an incorporalis?

**M.** Incorporalis quidem est.

**D.** Quomodo ergo portatur, si incorporalis est?

**M.** Incorporeæ quidem similis corporibus.

**D.** Et ubi portatur? ad locum corporeum, an in-  
corporeum?

**M.** Ad loca incorporeæ similia corporalibus.

**D.** Quæritur ergo si potest anima absque corpore  
inter angelos in perpetua beatitudine consistere sine  
defectu, quid ergo opus est ut iterum surget corpus,  
ut illam tunc immortalem induat, quam nunc mor-  
talem depositum?

**M.** Inest quidem corporis administratio, quo re-  
tardatur animus ut non in illud sumnum perget, do-  
nec consurgat corpus, ut quod nunc ei in sarcina est,  
tunc sit in gloria.

**D.** Quid ergo opus est, ut parvuli qui parentes  
habent Christianos patrem et matrem, iterum ren-  
ascantur per aquam baptismatis?

**M.** Quia unusquisque in originali peccato nasci-  
tur, et nisi renatus sit per aquam baptismatis, non  
potest introire in regnum Dei.

#### DE PLANTATIONE PARADISI.

Hieronymus in libro Quæstionum ita: *Et planta-  
vit Dominus Deus paradisum in Eden contra orientem.*  
Pro paradiſo, hortum habet, id est gan. Porro  
Eden deliciæ interpretantur, pro quo Symmachus  
transtulit, *paradisum florentem*. Nec non quod se-  
quitur, contra orientem, in Hebreo <sup>a</sup> mimizra  
scribitur, quod Aquila posuit ἀπὸ ἄρχωντος et nos, ab  
exordio, possumus dicere. Symmachus vero ἐν πρώτῃ,  
Theodotion <sup>b</sup> πρώτοις, quod et ipsum non orientem,  
sed principium significat. Ex quo manifeste compro-  
batur quod priusquam cœlum et terram Deus face-  
ret, paradiſum ante condiderat, sicut legitur in He-  
breo. *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum in  
Eden a principio.*

#### AUGUSTINUS IN HEXAMERON.

*Et plantavit Deus paradiſum in Eden ad orientem*  
*eī posuit ibi hominem quem finxit (Gen. ii, 8).* <sup>b</sup> Non  
ignoro de paradiſo multos multa dixisse, tres tamen  
de hac re quasi generales sunt sententiæ. Una eo-  
rum qui tantummodo corporaliter paradiſum intel-  
ligi volunt, alia eorum qui spiritualiter tantum, tertia  
corum qui utroque modo, et corporaliter et spirituali-  
ter. Breviter ergo dicam, tertiam mihi fateor pla-  
cere sententiam. Plantaverat ergo Deus paradiſum  
in deliciis, hoc est ad orientem, et posuit ibi homi-  
nem quem finixerat, sic enim scriptum est, quia sic  
factum est, ut quidam sapiens ait, quod in quodam  
loco iste paradiſus plantatus est, ubi homo terrenus  
habitare potuit. Nam paradiſus spiritualiter intelligi-  
tur, ubi nunc animæ sanctorum de corpore exeuntes  
pergunt, in cuius figuram iste paradiſus plantatus  
fuit, secundum rerum gestarum fidem. Illud plane

<sup>a</sup> In editis sancti Hieronymi legitur mecedem.

**A** quod sequitur: *Et lignum vitæ in medio paradiſi  
lignumque scientiæ boni et mali, diligentius consi-  
derandum est ne cogatur in allegoriā, ut non ista li-  
gna fuerint, sed aliud aliud nomine ligni signifi-  
cent. Dictum est enim de sapientia, *lignum ritæ est  
amplectentibus eam* (Prov. iii, 18). Verumtamen  
cum sit Hierusalem æterna in cœlis, etiam in terra  
civitas qua illa significaretur condita est. Et Sara  
et Agar quamvis duo Testamenta significarent, erant  
tamen etiam quædam duæ mulieres. Et cum Christus  
per ligni passionem fluento spirituali nos irriget, erat  
tamen petra quæ aquam sicuti populo ligno per-  
cussa manavit. De qua dicitur: *Petra autem erat  
Christus* (I Cor. x, 4), non sicut ille vitulus saginatus  
qui minore filio revertente in epulas cœsus est. (Luc.  
xv, 23). Ibi quippe ipsa narratio figurarum est, non  
rerum gestarum figurata significatio. Sed illud etiam  
in rebus gestis factum est, hoc autem tantum in fi-  
guris predictum. Sic et sapientia idem ipse Christus,  
lignum vitæ est in paradiſo spirituali, quo misit de  
cruce latronem. Creatum est autem quod eam signi-  
ficaret lignum vitæ etiam in paradiſo corporali, nec  
sine mysteriis rerum spiritualium corporaliter pre-  
sentatis, voluit hominem Deus in paradiſo vivere.  
Erat ergo ei in lignis cæteris alimentum, in illo autem  
sacramentum, quid significans nisi sapientiam, de  
qua sic dictum est: *Lignum vitæ amplectentibus eam?**

quemadmodum de quo diceretur: *Petra manans* est  
sicuti figuris eum. Illud quoque addo quanquam cor-  
poralem cibum, talem tamen illam arborem præsti-  
tisse, quo corpus hominis sanitatem stabili firmaretur,  
non sicut ex alio cibo, sed nonnulla inspiratione sa-  
labritatis occulta. Profecto licet usitatus panis alli-  
quid tamen amplius habuit, cuius una colliride ho-  
mini Deus ab indigentia famis dierum <sup>c</sup> spatium  
vindicavit. Sequitur:

Nunc videamus: de ligno scientiæ boni et mali,  
cur istud nomen acceperit, quia valde bona omnia  
Deus creavit. Id dinoscendum boni et mali quantum  
fuisse inter obedientiæ bonum et inobedientiæ ma-  
lum, quasi inde transgressus esset, malum illi esset;  
si vero servasset præcepta conditoris sui, bonum illi  
fuisse, quoniam si transgressus non fuisset, experi-  
mentum poenæ non didicisset.

**D.** *Et fons accendebat de loco voluptatis, ad irri-  
gandum paradiſum, qui inde dividitur in quatuor ca-  
pita, vel in quatuor partes, quomodo intelligendum  
est?*

#### AUGUSTINUS.

**M.** Ne quis ex hoc moveatur quod de his flumini-  
bus dicitur, aliorum esse fontes notos, aliorum au-  
tem prorsus incognitos; cum id potius credendum  
sit, quoniam locus ipse paradiſi a cognitione homi-  
num est remotissimus, inde quatuor aquarum partes  
dividi, sicut fidelissima Scriptura testatur. Sed ea  
flumina, quorum fontes noti esse dicuntur, alicubi  
issæ sub terras, et post tractus prolixarum regionum,  
locis aliis erupisse, ubi tanquam in suis fontibus

<sup>b</sup> Aug., lib. viii de Gen. ad litt. capp. 1-7.

noti esse perhiberentur. Nam hoc solere nonnullas aquas facere quis ignorat?

## ITEM AUGUSTINUS.

Flumen autem quod procedebat ex Eden, id est ex deliciis, et voluptate, et epulis, quod flumen a propheta significatur in psalmo ubi ait: *Torrente voluptatis tua potabis eos* (Psal. xxxv, 9), dividitur, inquit, in quatuor partes, et quatuor virtutes significat, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam. Dicitur autem Physon ipse esse Ganges, Gom aeternus Nilus, quod etiam in Jeremia propheta animadvertis potest, nunc aliis nominibus appellantur, sicut nusquam Tiberis dicitur fluvius qui prius Albulam dicebatur. Tigris autem et Euphrates etiam nunc eadem nomina tenent. Quibus tamen nominibus virtutes, ut dixi, spiritales significantur, quod etiam ipsorum nominum interpretatio docet, si quis Hebreum linguam vel Syram consideret, sicut Hierusalem, quamvis sit visibilis et terrenus locus, significat tamen civitatem pacis spiritualiter, et Sion quamvis sit mons in terra speculationem tamen significat. Et hoc tamen in Scripturarum allegoriis ad spiritualia intelligenda a sepe transfertur. Et ille qui descendebat ab Ierusalem in Jericho, sicut dicit, et in via vulneratus, sauvius et semivivus relictus est a latronibus (Luc. x., 30), utique loca ista terrarum, quamvis secundum historiam in terra inveniantur, spiritualiter cogit intelligi.

Prudentia ergo quae significat ipsam contemplationem veritatis, ab omni ore humano alienam, quia est ineffabilis, quam si eloqui velis, parturis eam potius quam paris, quia et ibi audivit Apostolus ineffabilia verba quae non licet homini loqui. Hæc ergo prudenter terram circuit, quae habet aurum et carbunculum et lapidem prasinum, id est disciplinam vivendi, quae ab omnibus terrenis sordibus quasi decocta enitescit, sicut aurum optimum, et veritatem quam nulla falsitas vincit, sicut carbunculi fulgor nocte non vincitur, et vitam æternam quae viriditate lapidis prasini significatur propter vigorem qui non arescit.

Fluvius autem ille qui circuit terram Æthiopiam multum calidam atque ferventem, significat fortitudinem calore actionis alacrem atque impigriam.

Tertius autem Tigris vadit contra Assyrios, et significat temperantiam, quae resistit libidini multum adversanti consiliis prudentiae, unde plerumque in Scripturis, Assyrii adversariorum loco ponuntur.

Quartus fluvius non est dictum contra quid vadat, aut quam terram circumneat; justitia enim ad omnes partes animæ pertinet, quia ipsa ordo et æquitas animæ est, qua sibi tria ista concorditer copulantur. Prima prudentia, secunda fortitudo, tertia temperantia et in statuta copulatione atque ordinatione justitia.

\* In Gen. cap. 3.

## RECAPITULATIO.

*De paradiſo, fonte ac fluminib[us], et ligno vite.*

## ISIDORUS \*.

Plantaverat autem Dominus Deus paradisum subptatis a principio. Paradisus Ecclesia est, sic enim de illa legitur in Canticis cantorum: *Hortus conclusus est soror mea* (Cant. iv, 12). A principio autem paradisus plantatur, quia Ecclesia catholica a Christo principio omnium condita esse cognoscitur. Flevies de paradiſo exiens, imaginem portat Christi, de paterno fonte fluentis, qui irrigat Ecclesiam suam verbo prædicationis et dono baptismi; de quo bene per prophetam dicitur: *Dominus Deus noster fons glorioſus exciliens in terram sicutientem*. Quatuor autem paradisi flumina quatuor sunt Evangelia ad prædicationem in cunctis gentibus missa. Ligna fructifera omnes sancti sunt, fructus eorum opera eorum. Lignum vitae sanctus sanctorum utique Christus, ad quem quisque si porrexerit manum, vivet in æternum. Lignum autem scientiae boni et mali, proprium est voluntatis arbitrium, quod in medio est positum ad dinoscendum bonum et malum, de quo qui relicta gratia Dei gustaverit, morte morietur. Sequitur:

*D. Tulit ergo Dominus Dens hominem, et posuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur et custodiret illum* (Gen. ii, 15). Quid, rogo, operaretur? quid custodiret? paradisum, an aliud aliiquid?

*M. Ista sententia duplaciem intelligentiam partit.* Sive enim operaretur homo paradisum, id est in paradiſo aliiquid operaretur, non necessitate vietus, sed delectatione operabatur. Adhuc non peccaverat, nec ei terra spinas et tribulos germinaverat, ut in sudore faciei sue ederet paneum suum. Hoc nempe meruit post peccatum. Ante peccatum igitur, non indigentia, non necessitate, sed sola, ut diximus, voluntate operabatur paradisum per agriculturam, et custodiebat per disciplinam, non contra bestias, neque contra aliqua animalia paradisum custodiebat; sed sibi scilicet, ne amitteret peccando, quod custodire potuerat obediendo. Sive ipsum hominem posuens Deus in paradiſum ut operaretur et custodiret, ut tutus esset; quodlibet horum dicatur, sive hominem operaretur paradiſum per agriculturam, et custodiret per disciplinam, sive ipsum hominem Deus operaretur ut bonus esset ac tutus; quodlibet horum intelligas, rationem habet juxta utrumque intellectum. Sequitur:

*Præcepitque ei Dominus dicens: ex omni ligno præradisi comedere, de ligno autem scientiae boni et mali ne comedas; in quacunque die comedeleris ex eo, morte morieris* (Gen. ii, 16).

## AUGUSTINUS.

*D. Cum Deus minaretur homini mortem die que cibum vetitum tetigerit, cur non eodem die moriens fuerat, sicut Scriptura dicit: In quacunque die comedeleris ex eo, morte morieris?*

*M. Quatuor esse mortes sancta Scriptura manifesta.*

stissime ostendit. Prima mors est animæ quæ suum deserit creatorem, cum enim deseruerit peccat. *Sine, inquit Dominus in Evangelio, mortuos sepelire mortuos suos* (*Math. viii, 22*). Ecce habes secundum animam sepelentes mortuos, et quos sepeliant secundum carnem mortuos. Hæc itaque sententia duas mortes manifestissime ostendit, unam animalium, alteram corporum. Tertia solius est animæ, quam dum ex corpore exierit patitur, secundum illud quod in Evangelio de illo dixit legimus: *Pater Abraham, inquit dives, misere mihi Lazarum, ut digito suo refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (*Lac. xvi, 24*). Quarta autem mors, cum anima recupererit corpus, ut in ignem mittatur æternum, secundum illud quod Dominus in Evangelio de futuro iudicio dicit: *Ite in ignem æternum, et reliqua. Die itaque quo peccavit Adam, in anima mortua est; sicut enim corpus vivit ex anima, ita anima, ut beatæ vivat, ex Deo. Ergo defuncta anima Adæ jure diciter mortua, ex qua tres postea secutæ sunt mortes. Ut enim hæc subsequerentur prima præcessit, quia eo die quo peccavit Adam, in anima mortua est.*

*D.* Quomodo poterat mortem timere Adam, quam nullatenus sciebat?

*M.* Sicut enim nos scimus resurrectionem, quam nunquam experti sumus, nec vidimus, ita et ille sciebat mortem. Scientes igitur quod exiens anima a corpore faciat mortem, et dum reversa fuerit in corpus suum faciat resurrectionem; ecce scimus resurrectionem, quam nunquam experti sumus. Sic et ille sciebat utique mortem non adhuc per experientiam, sed per scientiam. Sciebat quippe quid esset vivere, et per privationem vitæ sciebat utique mortem. Sic sciuntur tenebræ per privationem lucis, et scitur silentium per privationem vocis: ita sciebat Adam mortem per privationem vitæ. Sequitur:

AUGUSTINUS.

*D. Dixit quoque Dominus: Non est bonum esse hominem solum, faciamus ei adjutorium simile sui* (*Gen. ii, 18*). Quomodo hoc intelligendum?

*M.* Certe si a me queratur ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabilitè occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adjutorium semini est in terra, ut virgultum ex utraque nascatur. Nec video quid prohibere potuerit, ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiæ, ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi, fetus ex eorum semine gigneretur. Nos ut morientibus parentibus filii succederent, sed ut illis qui genuissent, in aliquo formæ statu manentibus, ex ligno vitæ quod ibi plantatum erat, corporalem vigorem sumentibus, et illi qui gignerentur ad eundem perducerentur statum, donec certo numero impleto, si juste omnes obdienterque viverent, fieret in æternam vitam commutatio, sicut considerari potest et de Enoch, qui filiis genitis Deo placens, non mortuus, sed translatus est. Cur ergo et Adam et Eva, si juste viventes caste filios procreas-

*A*sent, non eis possint translatione non morte succidentibus cedere. Quæcum ita sint, cur non credamus eos ante peccatum ita genitalibus membris ad procreandos filios imperare potuisse, sicut cæteris quæ in quolibet opere anima sine ulla molestia et quasi prurita voluptatis movet, ut eo nutu imperarent membris, quibus fetus exoritur, quo pedibus cum ambulatur, ut neque cum ardore seminaretur, neque cum dolore pareretur. Nunc vero transgrediendo præceptum, motum legis illius, quæ repugnat legi mentis in membris, concepta mortis habere meruerunt. Et quid hac poena justius, quam ut non ad omnem natum serviat corpus, id est suus famulus animæ, sicut Domino suo detrectavit ipsa servire.

*B*Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animalibus terræ et universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam (*Gen. ii, 19*). Et reliqua.

*D.* Nunquidnam sic adduxit Deus ad Adam cuncta animalia et universa volatilia cœli, quomodo adducunt ancupantes aut venantes ad retia? An forsitan vox de nube facta jussionis, quam intelligerent tanquam rationales animæ, et ea audita, nihilominus obedierant.

*M.* Non hoc acceperunt animalia aut volatilia, ut sint ratione capaces, per quam obedire possint Creatori suo; in suo tamen genere obtemperant Deo, non rationabili voluptatis arbitrio, sed sicut movet ille omnia temporibus opportunis, non ipse temporaliter motus. Movet itaque seipsum sine tempore et loco, movit creatum spiritum sine loco temporaliter. Præcedit igitur substantia quæ tantum temporaliter moverat. Præcedit itaque substantia quæ nec temporaliter nec localiter moveretur, illam quæ temporaliter moveretur; idem spiritus conditus movet seipsum per tempus sine loco, moveretur corpus per tempus et locum. Spiritus vero creator movet seipsum sine tempore et loco. Igitur spiritus rationalis, qui est in hominibus, seu irrationalis, etiam et jussis moveretur. Sed rationalis habet intelligentiam per quam judicare possit utrum jussis consentiat, an non consentiat: animalia vero aut volatilia non acceperunt hoc iudicium; pro suo tamen genere atque natura Jusqu' aliquid tacta propelluntur. Unde angelica natura, jussa Dei persiciens, moverat jussis omne genus animantium, dicens quo illa nesciunt. Si homines possunt nonnulla animalium genera mansueta facere, ita ut quasdam voluntates hominum facere videantur, quanto magis hoc angeli possunt?

*D.* Quæ causa facit ut Deus, quem astris moveri, non moveatur in tempore, aut spiritus creatus qui moverat in tempore, non moveatur et loco?

*M.* Deus qui instituit tempora, et est ante tempora, nihil in eo est præteritum aut futurum, nullum consilium novum, nulla cogitatio nova, quasi scilicet sit nova et accedens. Nam si accedit Deo aliquid, jam non immutabilis; igitur immutabilis Deus est, nihil illi accedit, nulla nova cogitatio, nullum novum consilium. Ideo non moveatur in tempore,

\* Aug. de Gen. ad litt., lib. ix, cap. 3.

corpora vero sua in locum movendum descendunt de cœlo et ascendunt in cœlum. Spiritus itaque hominum movetur in tempore reminiscendo præterita, futura exspectando, aliqua nova discendo. Neque enim cum recordor aliquam lectionem aut aliquam civitatem, sic commotus est spiritus meus cogitando, ut haec recordaretur ex tempore, ita motus est et loco. Quod si in loco movetur, an in cœlo, an in terra movetur? quia sine cœlo et terra nullus est locus. Ubi enim fuit ipse spiritus, in cœlo an in terra, ut videret ipsam lectionem vel ipsam civitatem? Ergo si in nullo loco vidit, ut recordaretur, in seipso vidit. Et quia initium habet, cogitatio est omne quod initium et tempus habet. Igitur secundum supradictam rationem spiritus creatus per tempus moveri potest, non per locum. Spiritus vero creator sine tempore et loco, corpus autem et tempore et loco. Sequitur:

*Immisit ergo Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus, usque hæc vocabitur virago, quia ex viro suo sumpta est (Gen. ii, 21).*

HIERONYMUS <sup>a</sup>.

Et misit Dominus Deus exstasim super Adam; pro exstasi, id est mentis excessu, in Hebræo habet tardema, quod Aquila καταφορὰ, Symmachus ξάπον, id est gravem et profundum soporem interpretati sunt. Denique sequitur, et dormirit, id ipsum verbum et in Jonæ stertentis somno positum est (Jon. i). Sequitur:

*Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea, hæc vocabitur mulier, quoniam ex viro sumpta est (Gen. ii, 23).* Non videtur in Graeco et in Latino resonare [Edit., sonare] cur mulier appelletur, quia ex viro sumpta sit; sed etymologia in Hebræo sermone servatur, vir quippe *is*, mulier *issa*. Recte igitur ab *is* appellata est mulier *issa*. Unde et Symmachus pulchre etymologiam etiam in Graeco voluit custodire dicens: *Hæc vocabitur, ἀνθρώπη ὅτι ἐξ τοῦ ἀνθρώπου ἤγειρη.* Quod nos Latine possumus dicere: *Hæc vocabitur virago, quia ex viro sumpta est.* Porro Theodotion aliam etymologiam suspicatus est dicens: *Hæc vocabitur assumptio, quia ex viro assumpta est.* Potest quippe *issa* secundum varietatem accentus et *assumptio* intelligi.

<sup>b</sup> Quod si queritur de facta post muliere, quomodo se habeat causalis illa conditio, utrum jam id habeat, ut secundum eam necesse esset ex virili latere feminam fieri, an hoc tantum habebat ut fieri posset; ut autem ita fieri necesse esset, non ibi jam conditum, sed in Deo erat absconditum. Dicam quid mihi videatur. <sup>c</sup> Omnes istæ naturæ usitatissimos cursus habent, quasdam naturales leges suas. Ex his velut primordiis rerum, omnia quæ gignuntur suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque et decessiones sui cuiusque generis. Unde fit ut de grano tritici non nascatur saba, vel de homine pecus. Super hunc autem motum cursumque rerum naturalem po-

A testas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud quam eorum quasi seminales rationes habent. Horum et talium modorum rationes non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ atque concrete. Ut autem ligum de terra excisum, aridum, perpolitum sine ulla radice, sine terra et aqua repente floreat et fructum gignat, dedit quidem naturis quas creavit, ut ex eis ei haec fieri possint. Verumtamen et alio modo dedit ut non haec haberent in motu naturali, sed in eo quo ita creata essent, ut eorum natura quæ voluntati amplius subjeceret. Habet ergo Deus in seipso absconditas quorumdam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit. Ibi est et gratia per quam salvi sunt peccatores. Nam quod altinet ad naturam iniquam, sua B voluntate depravatam, recursum per semetipsam non habet, sed per Dei gratiam. Propter quod mysterium gratiæ ejus Apostolus (*Ephes.* iii, 9) absconditum dixit, non in mundo, sed in Deo, qui universa crevit. Quamobrem omnia etiam quæ ad hanc gratiam significandam non naturali motu rerum, sed mirabiliter facta sunt, eorum etiam causa in Deo absconditæ fuerunt. Quorum si unum erat, quod ita mulier facta est de latere viri, et hoc dormientis, non habuit hoc prima rerum conditio, quando sexta die dictum est: *Masculum et feminam fecit eos*, ut femina omnino sic fieret, sed tantum hoc habuit, quia et sic fieri possit. Nec contra causas quas voluntate instituit, mutabili voluntate aliquid ficeret: quid autem fieret ut aliud omnino futurum non esset, absconditum erat in Deo qui universa creavit

ITEM AUGUSTINUS.

*De anima mulieris.*

<sup>d</sup> Quoniam de carne mulieris quemadmodum facta sit Scriptura narravit, tacuit autem de anima, multo magis nos fecit intelectos ut de hoc mundo refelli possint sive non possint, qui credunt animam de anima hominis, sicut de carne carnem, fieri a parentibus in filios utriusque rei transfusis seminibus. Hinc cuim primitus ad hoc moventur, ut dicant, quod unam animam Deus fecerit, quam sufflavit in faciem hominis, quem de pulvere fixerat; et ut ex illa jam cæteræ creentur animæ hominum, sicut ex illius carne omnis etiam caro hominum. Huic suspicioni facile occurritur. Si enim propterea putant animam mulieris ex anima viri factam, quia non scriptum est quod in mulieris faciem sufflaverit Deus, cur credunt ex viro animatam quoque feminam, quando nec id quidem scriptum est.

Ac primum illud firmissime teneamus, animæ naturam non in naturam corporis converti, ut quæ jam fuit anima, fiat corpus: nec in naturam animæ irrationalis, ut quæ fuit anima hominis, fiat pecoris: nec in naturam Dei, ut quæ fuit anima, fiat quod Deus est.

*habet quasdam naturales leges suas.*

<sup>d</sup> Lib. x de Gen. ad litt., cap. 1-15.

<sup>e</sup> Apud Augustinum, quoniam modo.

<sup>a</sup> Quæst. Hebr.

<sup>b</sup> Aug. de Gen. ad litt., lib. ix, c. 17.

<sup>c</sup> In editis, *Omnis iste naturæ usitatissimus cursus*

Illud etiam non minus certum esse debet, animam acn esse nisi creaturam Dei.

Nunc itaque et illud consideremus, utrum neutrau confirmet sententiam, sed utrius possit accommodari, quod scriptum est. *Per unum hominem peccatum introiit in mundum, et per peccatum mors; et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt* (*Rom. v. 12*). Ex his enim verbis Apostoli qui defendunt animarum propaginem, sententiam suam sic astruere moliuntur. Si secundum solam carnem, inquiunt, potest intelligi peccatum vel peccator, non cogimus in his verbis ex parentibus animam credere. Si autem, quamvis per illecebram carnis, non tamen peccat nisi anima, quomodo accipendum est quod dictum est: *in quo omnes peccaverunt*, si non ex Adam etiam anima sicut caro propagata est? Verissime quidem ac veracissime scriptum est: *Caro concupiscit adversus spiritum, et spiritus adversus carnem* (*Gal. v. 17*); sed tamen carnem sine anima concupiscere nihil puto, quod omnis doctus atque indoctus non dubitet. Ac per hoc concupiscentiae ipsius carnales causa non est in anima sola, sed multo minus est in carne sola, ex utraque enim fit; ex anima scilicet, quod sine illa delectatio nulla sentitur, ex carne autem, quod sine illa carnis delectatio non sentitur. Carnem itaque concupiscentem adversus spiritum dicit Apostolus, carnalem procul dubio delectationem quam de carne et cum carne spiritus habet, adversus delectationem quam solus habet. Nam cum spiritus membris corporis imperat, ut huic desiderio serviant, quo solus acceditur, velut cum adsumitur codex, cum aliquid scribitur, legitur, disputatur, auditur, cum denique panis frangitur esurienti, obedientiam caro exhibit, non concupiscentiam movet. His atque hujusmodi desideriis, quibus sola anima concupiscit, cum adversatur aliquid, quod eamdem animam secundum carnem delectet, tunc dicitur caro concupiscere adversus spiritum, quod contra peccatum militant sub gratia constituti, non ut non sit in eorum corpore quandiu ita mortale est, ut mortuum jure dicatur, sed ut non regnet. Non autem regnat, cum desideriis ejus non obeditur, secundum hanc sententiam, nec rem absurdissimam dicimus, quod caro sine anima concupiscat, nec Manichæis consentimus, qui cum viderent carnem non posse sine anima concupiscere, aliam quamdam animam suam ex alia natura Deo contraria carnem habere putaverunt.

*D.* Nec alicui animæ non esse necessariam Christi gratiam dicere cogimus, cum dicitur nobis, quid meruit anima infantis, unde illi perniciosum sit non percepto baptismo exire de corpore?

*M.* Quibus respondetur, animas quidem corporibus hominum Deum novas singillatim dare, ad hoc ut de carne peccati, de originali peccato veniente, recte vivendo, carnalesque concupiscentias sub Dei gratia subigendo, meritum comparent, quo cum ipso corpore in melius transferantur tempore resur-

*A* rectionis: sed necesse esse ut cum membris terrenis atque mortalibus, maximeque de peccati carne propagatis miro modo coaptentur, ut ea primitus viviscare, post etiam ætatis accessus regere possint, tanquam oblivione prægraventur, quæ si esset quodammodo indigestibilis, creatori b tribuitur. Cum vero paulatim ab hujus oblivionis tempore anima resistit, quid ei obest illam velut somno paululum immergi, unde paulatim evigilans in lucem intelligentiae emergat? Sed antequam per ætatem possit secundum spiritum vivere, necesse habet mediatoris sacramento, ut quod per ejus c sacramentum et fidem nondum potest, per eorum qui diligunt flat. Quid ergo, aliquis ait, si hoc non curaverint sui vel infidelitate, vel negligentia, an forte nihil opererit? quid ergo prodest ei cui subvenitur? Hi pro causa sua quid respondere possint, qui secundum Scripturas sanctas, vel quod apud eas inveniatur, vel quod eis non aduersetur conantur asserere, animas novas non de parentibus tractas corporibus dari, nondum me audisse vel alicubi leguisse consiteor; sed etiam si vincent, non certando, sed probando, qui animarum traducem affirmant, non erit tamen consequens, ut etiam Christi anima ex illius prævaricatoris traduce venisse credenda sit. Nam corpus Christi, quamvis ex carne seminæ sumptum sit, quæ de illa carnis peccati propagine concepta fuerat; tamen quia sic ex ea conceptus est, quomodo fuerat illa concepta, nec ipsa erat caro peccati, sed similitudo carnis peccati. Denique si a me queratur, unde accepit animam Christus Jesus, malim quidem hinc audire meliores, atque doctiores, sed tamen pro meo captu libentius responderim, non de Adam, sed unde Adam, id est ex Deo. Est in Epistola quæ scribitur ad Hebreos, locus quidam diligenti consideratione dignissimus. Cum enim per Melchisedech, in quo hujus rei figura præcesserat, discerneretur sacerdotium Christi a sacerdotio Levi: *Videte ergo, inquit, qualis hic est, cui et decimam partem Abraham dedit de primitiis patriarcha* (*Hebr. vii. 4*), non autem et ille ibi decimatus est, cuius caro inde non fervorem vulneris, sed materiam medicaminis traxit. Nam cum ipsa decimatio ad præfigurandam medicinam pertinerit, illud in Abraham carne decimabatur quod curabatur, non illud unde curabatur. Eadem namque caro non Abraham tantum, sed ipsius primi terrenique hominis simul habebat et vulnus prævaricationis et medicamentum vulneris, in eo quod inde sine opere concupiscentie de Virgine assumptum est, propter mortis sine iniustitate consortium, et sine falsitate resurrectionis exemplum. Hic forte dicent, sicut potuit ibi esse secundum carnem et non decimari, cur non etiam secundum animam sine decimatione potuerit? quia in corporis semine potest esse vis invisibilis, quæ incorporaliter numeros agit, non oculis, sed intellectu discernenda ab ea corpulentia quæ visu tactuque sentitur. Sed quid labore in re, quæ persuaderi

*C*

*D*

a Editi, ut in carne peccati.

b Editi, tribueretur.

c Desideratur in editis sacramentum.

verbis nemini forsitan potest, nisi tantum ac tale ingenium sit, quod sit legentis prævolare conatum, nec tamen totum expectare a sermone.

Breviter ergo colligam si potuit et de anima id fieri, quod cum de carne diceremus, forsitan intellectum sit, ita est de traduce anima Christi, ut non secum labem prævaricationis adtraxerit. Si autem sine isto reatu potuit inde esse, non est inde. Jam de cæsterrarum animarum adventu, utrum ex parentibus an desuper sit, vineant qui potuerint: ergo adhuc inter utrosque ambigo, et moveor aliquando sic, aliquando autem sic, salvo eo duntaxat, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem sive coaptationem, si ita dicenda est, quam Graeci harmoniam vocant, nec quolibet ista garrente, me creditur esse confidam, adjuvante Domino mentem meam, moneo sane quantum valeo, si quos ista præoccupavit opinio, ut animas credant ex parentibus propagari, quantum possunt se ipsos considerent, et interim sapient corpora non esse animas suas, nulla enim propior natura est, qua possit Deus incorporaliter cogitari, quam ea quæ ad ipsum imaginem facta est, et nihil est vicinus, quam ut a credente quod anima corpus sit, etiam Deus corpus esse credatur.

D. Nunquid quia opus erat Adæ ut ei conjux fieret, aliter non poterat fieri, nisi ut dormienti constam detraharet, ex qua conjux adiudicaretur?

M. Poterat et aliter fieri, sed ideo congruentius judicavit ut sic fieret, unde aliquid significaretur. Sicut enim dormienti Adæ costa detrahitur et conjux efficitur, ita et Christo morienti de latere sanguis effunditur, ut Ecclesia construatur. Communicatione namque corporis et sanguinis Christi, efficitur Ecclesia conjux Christi. Sequitur:

D. Quid sibi vult quod dicit Adam: *Quonobrem relinquet homo patrem et matrem suam, et adhærebis uxori suæ, et erunt duo in carne una* (Gen. ii, 24). Et beatus Paulus apostolus hoc capitulum ponens exposuit dicens: *Sacramentum magnum hoc est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia* (Ephes. v, 31). Sed quomodo reliquerit Patrem, cum una substantia sit Patri? Aut ubi esse poterit Pater sine Filio, cum de ipso Filio qui est sapientia dicitur: *Qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter* (Sap. viii, 1)?

M. Ergo si ibi est Filius ubi est Pater, non potest esse Pater sine Filio, nec Filius sine Patre, quia scilicet sicut inseparabiles sunt in natura, ita et separabiles in personis. Sic enim ipse Filius dicit in Evangelio: *Qui me misit mecum est*. Quomodo igitur derelinquit Patrem, et adhæret uxori suæ, id est Ecclesiae, nisi eo modo quo dicit Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratuſ est esse aequalis Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens*. Igitur ipsa forma est servilis acceptio, et exinanitio, et ipsa exinanitio quanquam non sit divinitatis abolitio aut naturæ amissio, tamen propter

A formam servi in qua dinoscitur apparuisse, jure dicitur Patrem reliquisse. Sed reliquit et matrem, synagogam scilicet, veteri testamento carnaliter inhaerentem, et adhæset uxori suæ, id est Ecclesie, ut pace novi testamenti, essent duo in carne una. Sequitur:

ITEM AUGUSTINUS b.

*Et erant nudi Adam et uxor ejus, et non pudebat illis* (Gen. ii, 25). Verum est omnino, nuda erant corpora duorum hominum in paradyso conversantium, nec pudebat eos. Quid enim puderet, quando nullam legem senserant in membris suis repugnantem legi mentis suæ? quæ illos poena peccati post perpetrationem prævaricationis secuta est, usurpante inobedientia prohibitum, et justitia puniente commissum. Quod antequam fieret nudi erant, ut dictum est, et non confundebantur. Nullus erat motus in corpore, cui verecundia deberetur; nihil putabant velandum, quia nihil senserant refrenandum. Quemadmodum propagatur easent filios, jam antea disputatum est: non tamen eo modo credendum est, quo propagaverunt poste aquam crimen admissum prædicta ulti consecuta est, cum priusquam morerentur, jam in corpore inobedientium hominum justissimo reciprocata inobedientium membrorum tumultum mors concepta versaret.

*Serpens autem erat callidior cunctis animalibus quæ erant super terram, quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem, Cur precepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi, usque ad id, Aperientur oculi vestri, et eris sicut dii, scientes bonum et malum* (Gen. iii, 1).

AUGUSTINUS.

D. Quomodo serpens loqui poterat in paradyso, cum aliquis pareat irrationabile esse animal?

M. Serpens per se loqui non poterat, nec quia hoc a creatore non acceperat assumpsit, nisi nimis illum diabolus utens, et velut organum per quod articulatum sonum emitteret. Per illum nempe verba faciebat, et tamen hoc etiam ille nesciebat. Natura igitur rationis expers subditur naturæ rationali, sed tamen non totum quod vult ex ea vel in ea facit, sed quantum a Deo acceperit.

D. Et si non intelligent serpentes, quomodo audiunt verba Marsorum, ut ad incantationes eorum de speluncis exeant suis?

M. Liceat intellectum non habeant, tamen sensu corporis nullatenus carent. Habent enim visum, auditum, gustum, odoratum. Et ideo quamvis audiant verba Marsorum, nequaquam tamen intelligunt; nos enim obdiunt intelligendo, sed ut de anbris ad verba Marsorumexeant, permittente Deo, coguntur a diabolo, unde datur testimonium de illo primo facto, quia primum hominem per serpentem decepit in paradyso.

AMBROSIUS.

D. Cur per istud animal permisit eum tentari?

M. Non mirum est si per serpentem tentatur, per quem diabolus præfiguratur; quia ipse antiquus ho-

a Editi, a sermone.

b Lib. xi de Gen. ad litt., cap. 4-14

stis iniquissimam habet voluntatem, et æquissimam potestatem, quia semper habet voluntatem maleficiendi, nihil habet potestatis nocendi sine Dei permisso.

D. Quare permisit tentari, quem consensurum præsciebat?

M. Dicam quantum vel donat sapere vel sinit dicere, non mihi videtur magnæ laudis fuisse hominem, si propterea possit bene vivere, quia nemo male vivere suaderet, cum et in natura posse, et in potestate habeat velle non consentire suadenti. Cur itaque tentari non sineret, quem consensurum esse præsciebat, cum id facturus esset propria voluntate per culpam, et ordinandus esset illius æquitate per peccatum. Sic autem quidam moventur de hac primi hominis tentatione, quod eam fieri permiserit Deus, quasi nupse nou videant universum genus humanum diaboli insidijs sine cessatione tentari. Cur et hoc permittit Deus? an quia probatur et exercetur virtus, et est palma gloriosior non consensisse tentatum, quam non potuisse tentari?

*Rerum qui supra.*

Talem inquietum faceret hominem qui nollet omnino peccare. Ecce nos concedimus meliorem esse naturam, quæ omnino peccare nollet, concedant et ipsi non esse malam naturam, quæ sic facta est ut possit non peccare si nollet. Illa quippe est in sanctis angelis, haec in sanctis hominibus. Qui autem sibi partes iniquitatis elegerunt, laudabile inque naturam culpabili voluntate depravatam, non quia presciti sunt, ideo creari minime debuerunt. Nam Deus nec justitia cuiusquam recti hominis eget, quanto minus iniquitate perversi. Cum enim ratio certa demonstrat duo quædam non æqualia bona, sed unum superius, alterum inferius, non intelligunt tardi corde cum dicunt utrumque tale esse, nihil aliud se dicere quam solum illud esse. Ac sic cum æquare volunt genera bonorum, numerum minuunt. Quis autem istos audiret si dicerent, quoniam excellentior sensus est videnti quam audiendi, ut quatuor oculi essent et aures non essent. At enim si Deus vellet, etiam isti boni essent: quanto melius hoc Deus voluit, ut quod vellent essent; sed boni infructuose, mali autem impune non essent. Sed præsciebat quod eorum fuisse voluntas mala. Præsciebat sane, et quia falli non potest ejus præscientia, ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala.

D. Cur eos creavit, quos tales futuros esse præsciebat?

M. Quia sicut prævidit quid mali essent facturi, sic etiam prævidit de malis factis eorum quid boni ipse esset facturus. Sic enim eos fecit, ut essent alii exhortationis adminiculum et timoris exemplum. Ergo inquietum est aliquid in operibus Dei quod alterius malo indigeat quo proficiat ad bonum. Itane sic obduraverunt et excœcati sunt homines nescio quo studio contentionis, ut non audiant vel videant, quibusdam punitis, quamplurimi corrigantur? Quis

A enim paganus, quis Judeus, quis hereticus non in domo sua quotidie probet, ex quo opere divinae prævidentiae in eos veniat imponenda commotio discipline. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus (Psal. 23, 2).* Prævidit bonos futuros ei creat, prævidit malos futuros ejus creat. Seipsum ad frumentum præbens bonis, multa munera suorum largiens et malis, nihil sibi consulens, nec de operibus bonorum et bonis consulens etiam de penis malorum.

*Iterum.*

Si queritur cur serpente diabolus tentare permisus sit, non sit mirum, cum dæmonia in porcos intrare Christus ipse permiserit (*Matth. VIII, 31*). Magis de ipsa natura diaboli scrupulosius queri sol-

B let, quam totam hæretici quidam offensi molestia male voluntatis ejus, alienare conantur a creatura summi et veri Dei, et alterum ei dare principium, quod sit contra Deum. Non enim valent intelligere omne quod est, in quantum aliqua substantia est, et bonum esse, et nisi ab illo Deo vivo a quo omne bonum est, esse non posse. <sup>b</sup> Malum vero voluntate inordinate moveri, bona inferiora superioribus preponendo. Atque ita factum est ut rationalis creature spiritus sua potestate propter excellentiam delectatus, tumesceret superbia, per quam caderet a beatitudine spiritualis paradisi, et invidentia contabesceret. In quo tamen bonum est hoc ipsum quod vivit et vivificat corpus sive aereum, sicut ipsius diaboli vel dæmonum spiritus, sive hominis anima cuiusvis etiam maligni et perversi. Nonnulli enim dicunt ipsum diabolo fuisse casum a supernis sedibus, quod iuiderit homini facto ad imaginem Dei. Porro autem invidia sequitur superbiam, non præcedit; non enim causa superbiendi est invidia; sed causa invidendi superbia. Cum igitur superbia sit amor excellentiae propriæ, invidia vero sit odium felicitatis alienæ, quid inde nascatur satis in promptu est. Amendo enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coæquentur; vel superioribus, quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. Initium autem figuræ Domini a propheta dictus est, quod fecit ut illudatur ab angelis ejus. Non quia ipsum primitus condidit, sed quia cum sciret cum ad hoc propriæ voluntate futurum, ut bonis noceret, creavit eum ad hoc, ut de illo bonis ipse prodesset, hoc est enim ut illudatur ab angelis ejus. Quoniam sic illuditur, cum sanctis prosunt tentationes quibus eos depravare conatur, et ideo initium figuræ ad illudendum. Per serpentem vero locutum fuisse diabolum, ipse usus quotidianus docet; nam serpentes, sicut superius dictum est, magis moventur carminibus hominum, quam ullum genus aliud animantium, quia haec non parva testatio est naturam primitus humanam, serpentis seductam esse colloquio. Hoc autem permittuntur dæmones ad primi facti memoriam commendandam, quod sit eis quædam cum humano genere familiaritas.

C D

<sup>a</sup> Lege depravarunt, ut apud Augustinum.

<sup>b</sup> Apud Augustinum, malum vero voluntatem.

**D.** Potuit eos ista tentatio de paradiſo ejicere a non?

**M.** Id intelligendum quod non potuit, si non se elevasset in vanam gloriam, quando eis contrarius hostis promisit dicens : *Si comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, et eritis sicut dii.* Sic namque scriptum est : *Ante ruinam exaltabitur cor.*

#### RECAPITULATIO.

ISIDORUS<sup>a</sup>.

Serpens autem ille sapientior omnium bestiarum indicat diabolum, qui inde serpens dicitur, quod volubili versetur astutia. Sed quid est quod ipse per mulierem decepit et non per virum? quia non potest ratio nostra seduci ad peccandum, nisi praecedente delectatione in carnali infirmitatis affectu, qui magis debet obtemperare rationi tanquam viro dominanti, hoc enim in unoquoque homine geritur, in occulto quodam secretoque conjugio. Suggestionem quippe serpentem accipiamus. Mularem vero animalem corporis sensum, rationem autem virum. Ergo quando occurrit mala suggestio, quasi serpens loquitur, sed sola cogitatio oblectatur illius suggestionis, ut frenante ratione consensus explendi operis non succedat, sola mulier videtur comedisse illicitum. Quod si ipsum peccatum etiam et mens perpetrandum decernat, jam vir deceptus est, jam mulier cibum dedisse viro videtur. Inlecebri enim consentire, de ligno prohibito manducare est. Tunc quippe jure a vita beata tanquam a paradiſo expellitur homo, peccatumque ei inputatur, etiam si non sequatur effectus, quia etsi non est in factis culpa, in consensu tamen retinetur conscientia. Hæc secundum *anagogen*. Cæterum juxta metaphoram, poterit callidus ille serpens hæreticorum versutiam designare. Nonnulli enim loquacius atque subtilius promittunt illicita curiositate secretorum adapertione atque scientiam boni et malorum, et in ipso homine tanquam in arbore quæ plantata est in medio paradiſi eam dinoscentiam demonstrare. Contra hunc serpentem clamat Apostolus cum dicit : *Metuo ne sicut serpens Eam seduxit veritatem sua, sic sensus vestri corrumpantur* (*II Cor. xi, 3*). Seducitur verbis hujus serpentis carnalis nostra concupiscentia, et per illa decipitur Christianus Adam non Christus. Dicit ergo iste ad mulierem : *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederitis ex omni ligno paradiſi?* sic et hæreticorum curiosa cupiditas, sic prædicatores pravi, ad diligendam erroris fallaciam, auditorum carnalium corda succendent, dicentes : *Quare fugitis scientiam habere latenter* (*Prov. ix, 19*)? nova semper exquirite, boni malique scientiam penetrate. Unde illa in Salomone mulier hæreticorum speciem tenens dicit : *Aquaæ furitæ dulciores sunt, et panis absconditus suavis* (*Prov. ix, 17*). Subjecit deinde idem serpens. *Quacunque die comederitis ex eo, statim aperientur oculi vestri, et eritis ut dii, scientes bonum et malum.* Sic et omnes generaliter hæretici divinitatis meritum profitentur, atque scientiae pollicitatione decipiunt et reprehendunt eos,

<sup>a</sup> Comment. in Gen., cap. 4, 5.

**A** quos simpliciter credentes invenerunt. Et quia omnino carnalia persuadent, quasi ad carnalium oculorum apertione conantur adducere, ut interior oculus obsecretur. Sequitur :

ISIDORUS.

*Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum, etc., tultique de fructu ejus et comedit* (*Gen. iii, 6*).

Mulier comedit antea, non vir, ideo quia carnales facilius persuadentur ad peccatum, nec tam velociter spiritales decipiuntur. Sequitur :

*Deditque viro suo et comedit.* Utique quia post delectationem carnalis concupiscentie nostræ, etiam ratio nostra subjicitur ad peccandum.

*Cumque cognovissent se esse nudos, consumerunt folia fucus, et contegerunt se* (*Gen. iii, 7*).

ISIDORUS.

Qui sæculum asperum amplectuntur, qui prurigine voluptatis carnalis uruntur, qui decepti hæretica pravitate, et gratia Dei nudati sunt, tegmenta mendaciorum tanquam folia fici colligunt, facientes sibi succinctoria pravitatis, cum de Domino vel Ecclesia mentiuntur. Et ut ait Gregorius : Adam namque post peccatum inobedientia mox pudenda contexit, quia contumeliam carnis invenit, et qui auctori suo esse subditus noluit, jura carnis subditæ quam regebat amisit, ut in seipso videlicet inobedientia sua confusio redundaret, et superatus disceret quid elatus amisit. Sequitur :

AUGUSTINUS.

**C** *D. Adduxit Deus ad Adam cuncta animalia et rotatilia, vidensque ea, imposuit nomina.... et de muliere paulo post dicitur : Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum.* Ecce Scriptura manifestissime ostendit amborum oculos apertos fuisse. Nec est enim fas dicere primos homines cæcos factos. Et cur post paululum, post ligni vetiti tactum eadem Scriptura dicit : *Aperti sunt oculi amborum?*

**D** *M.* b Nisi oculos apertos haberent, nec ille animalibus nomina imponeret, nec illa videret ligni pulchritudinem. Hoc quippe verum est, quia oculos apertos habebant, et tamen nisi ad aliquid essent clausi, nullatenus Scriptura diceret : *Aperti sunt oculi amborum.* Aperti scilicet, non ad aliud nisi ad invicem cognoscendum, ut esset lex in membris repugnans legem mentis, ut etiam in ipsis membris esset non voluntarius motus, justa scilicet vindicta Dei, ut homo qui noluit Deo esse subjectus, non haberet subditum corpus. Ergo in id aperti sunt oculi amborum ut moverentur concupiscentialiter membra. Sequitur.

AUGUSTINUS.

*Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiſo ad auram post meridiem, absconderunt se Adam et Eva uxor ejus a facie Domini in medio ligni paradiſi* (*Gen. iii, 8*).

**D.** Rogo ergo edissere quid sit illa Dei deambulatio?

**M.** Absit enim ut Deus qui est Trinitas, ex hoc

<sup>b</sup> Aug., lib. xi de Gen. ad litt., cap. 31.

quod ejus dicitur deambulatio, corporeus aut localis esse credatur. Omne locale corpus est utique, et omne corpus locale est. Deus vero incorporea res est, nec corporaliter movetur, neque loco continetur, neque de loco ad locum transfertur. Est nempe ejus deambulatio intelligenda per aliquam creaturam facta, quam creaturam hominem ex ipsius circumstantia Scripturæ intellectum a majoribus recolo.

ITEM GREGORIUS <sup>a</sup>.

*Cum audisset Adam vocem Domini deambulantis in paradiſo ad auram post meridiem, abscondit se inter ligna paradiſi. Nonnunquam per angelos verbis simul et rebus loquitur Deus, cum quibusdam motibus insinuat hoc quod sermonibus narrat. Neque enim Adam post culpam in divinitate videre Deum potuit, sed increpationis verba per angelum audivit.*

*D. Sed querendum nobis est, quid sit quod post peccatum hominis Dominus in paradiſo jam non stat, sed ambulat?*

*M. Hoc patenter datur intelligi, quod, irruente culpa, se a corde hominis motum demonstrat. Quid est quod ad auram post meridiem, nisi quod lux serventior veritatis abscesserat, et peccatricem animam culpæ suæ frigora constringebant. Ad auram namque post meridiem primus homo post culpam absconsus invenitur, quia enim meridianum calorem charitatis perdiderat, jam sub peccati umbra quasi sub frigore aure torpebat, sicut de eodem peccante homine scriptum est, quia secutus est umbram. Charitatis enim calorem perdiderat, et verum solem homo deseruit, et sub umbra se interni frigoris abscondit. Unde et voce ejusdem Veritatis dicitur : Abundabit iniquitas, refrigerescet charitas multorum (Matth. xxiv, 12). Increpavit ergo Adam deambulans, ut cecis mentibus nequitiam suam non solum sermonibus, sed etiam rebus aperiret; quatenus peccator homo et per verba quod fecerat audiret, et per deambulationem amissio æternitatis statu notabilitatis suæ inconstitiam cerneret, et, per auram fervore charitatis expulso, torpore suum animadverteret, et per declinationem solis cognosceret quod ad tenebras propinquaret.*

*Qui supra.*

*D. Vocavit autem Dominus Adam, et dixit : Ubi es? (Gen. iii, 1.) Quod est quod Dominus post lapsum requirit Adam, Ubi es? Nunquid divina potentia nesciebat ad quæ post culpam servus latibula fugerat, cui nihil latet?*

*M. Hoc procul dubio credendum, quia omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Sed quia vidit culpa lapsum, etiam sub peccato velut ab oculis Veritatis absconditum, quia tenebras erroris ejus non approbat, quasi ubi sit peccator ignorat, eumque et vocat et requirit dicens : Adam, ubi es? Per hoc quod vocat, signum dat quia ad penitentiam revocat, per hoc quod requirit aperte insinuat quia peccatores iure damnados ignorat. Hoc namque loco desperati*

*A ad spem redeant, quia et ipsi impii ad spem indulgentiae provocantur.*

*Qui ait : Audiri vocem tuam in paradiſo, et timui eo quod nudus essem, et abscondi me. Qui dixit : Quis enim indicavit tibi quod nudus essem, nisi quod ex ligno de quo tibi præcepere ne comederes, comedisti? Dixitque Adam : Mulier quam dedisti miki sociam, dedit mihi de ligno et comedì.*

GREGORIUS <sup>b</sup>.

*Sciendum summopere est quod quatuor modis peccatum perpetratur in corde, quatuor consummatur in opere. In corde namque suggestione, delectatione, consensu et defensionis audacia perpetratur. Fit enim suggestio per adversarium, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elationem.*

*B Culpa enim quæ terrere mentem debuit, extollit, et dejiciendo elevat, sed gravius elevando supplantat. Unde et illam primi hominis rectitudinem antiquus hostis his quatuor ictibus fregit. Nam, ut supra diximus, serpens suasit, Eva delectata est, Adam consensit, qui etiam requisitus confiteri culpam per audaciam noluit. Hoc vero in humano genere quotidie agitur, quod actum in primo parente nostri generis non ignoratur. Serpens suasit, quia occultus hostis mala cordibus hominum latenter suggerit. Eva delectata est, quia carnalis sensus ad verba serpentis mox se delectatione substernit. Assensum vero Adam mulieri prepositus præbuit, quia dum caro in delectationem rapitur, etiam a sua rectitudine spiritus infirmatus inclinatur. Et requisitus Adam confiteri culpam noluit, quia videlicet spiritus quo peccando a Veritate disjungitur, eo ruinæ suæ audacia nequius obduratur. Per timorem quippe Adam semetipsum absconsurus fugerat, sed tamen requisitus innovuit quantum etiam timens tumebat. Cum enim ex peccato presens poena metuitur, et amissa Dei facies non amatuerit, timor iste ex timore est, non ex humilitate. Ihsus etiam quatuor modis peccatum consummatur in opere. Primo namque latens culpa agitur, postmodum vero etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur, dehinc et in consuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur. Sequitur :*

*D. Et dixit Dominus ad mulierem : Quare hoc fecisti? quæ respondit : Serpens decepit me (Gen. iii, 13).*

GREGORIUS <sup>c</sup>.

*Adhuc quippe requisiti fuerant, ut peccatum quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Unde et serpens ille persuasor, qui non erat revocandus ad veniam, noui de culpa est requisitus. Interrogatus itaque homo est ubi esset, ut post perpetrata culpm resipisceret, et confitendo agnosceret quam longe a conditoris sui facie abscessit; sed adhibere sibimet utriusque defensionis solatia, quam confessionis elegerunt. Cumque excusare peccatum voluit vir per mulierem, mulier per serpentem, an-*

<sup>a</sup> Lib. xxxi Moral., cap. 5, 10.

<sup>b</sup> Lib. iv Moral., cap. 27.

<sup>c</sup> Lib. xxxii Moral., cap. 15.

rvat culpam quam tueri conati sunt : oblique Adam Dominum tangens, quod ipse peccati eorum auctor extiterit qui mulierem fecit; Æva culpam ad Dominum referens, qui serpeatem in paradiſo posuisset. Qui enim ore diaboli fallentis audierant, *Eritis ut dii*, quia Deo esse similes in divinitate non quiverant, ad erroris sui cumulum Deum sibi similem facere in culpa conati sunt. Sic ergo reatum suum dum defendere moliuntur, addiderunt, ut culpa eorum atrocior discussa fieret, quam fuerat perpetrata. Unde nunc quoque humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt. Et cum de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verbis, quasi sub quadam arbore foliis abscondit, et velut quædam excusationis sue opaca secreta, faciem conditoris fugit, dum non vult cognosci quod fecit. In qua videlicet occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi. Agit quippe ne omnia videntem videat, non autem ne ipse videatur, quia unicuique peccatori exordium illuminationis est humilitas confessionis.

*Dixit Dominus ad serpentem : Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terræ. Super pectus tuum gradieris et terram comedes cunctis diebus vitaे tuæ. Inimicitias ponam inter te et mulierem et semen tuum et semen illius. Ipsa conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus* (Gen. iii, 14).

#### HIERONYMUS IN HEBR. QUÆST.

In Hebræo ita habet : *Super pectus tuum gradieris*, id est ut <sup>a</sup> callidates et versutias cogitationum ejus aperiret, quod <sup>b</sup> omnis gressus ipsius nequitiae esset et fraudis. Sed et id quod sequitur : *Terram manducabis* : pro terra aphaer scriptum est, quod nos favillam possumus et pulverem dicere. *Ipse servabit caput tuum, et tu servabis calcaneum ejus*; melius habet in Hebræo : *Ipse conteret caput tuum, et tu insidiaberis ejus calcaneo*, quia et nostri gressus præpediuntur a colubro, et Dominus conteret Satan sub pedibus nostris velociter.

#### ITEM RECAPITULATIO.

Dicitur postea serpenti : *Maledictus eris inter omnia animantia, super pectus tuum et ventrem gradieris*. Nomine etenim pectoris significatur superbiam mentis, nomine autem ventris, ut LXX transtuleré, significantur desideria carnis; his enim duabus rebus serpit diabolus ad eos quos vult decipere, id est aut terrena cupiditate et luxuria, aut superbiae insana ruina.

*Et terram manducabis*. Id est ad te pertinebunt quos terrena cupiditate deceperis.

*Omnibus diebus vitaे tuæ*. Id est omni tempore quo agis hanc potestate, ante illam ultimam peccatum judicii.

*Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius* (Gen. iii, 15). <sup>d</sup> Semen diaboli perversa suggestio est, semen mulieris fructus est

<sup>a</sup> Editi, calliditatem et versutias.

<sup>b</sup> Editi, omnes gressus ejus nequitiae essent et fraudes.

<sup>c</sup> Editi, et tu conteres calcaneum ejus.

<sup>d</sup> Isid., comment. in Gen., cap. 5.

A boni operis, quo perversæ suggestioni resistitur. Ipsa caput illius conteret, si eum mens in ipso initio malæ suggestionis excludit. Ille insidiatur calcaneo ejus, quia mentem quam prima suggestione non decepit, decipere in finem tendit. Quidam autem hoc quod dictum est : *Inimicitias ponam inter te et mulierem*, de Virgine, de qua Dominus natus est, intellexerunt, eo quod illo tempore ex ea Dominus nasciturus ad inimicum devincendum, et ad mortem, cuius ille auctor erat, destruendam, promittebatur; nam illud quod subjunctum est : *Ipse conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo ejus*, hoc de fructu ventris Mariæ, qui est Christus, intelligunt. Id est, Tu eum supplantabis ut moriatur, ille autem victor resurget, et caput tuum conteret, quod est mors. Sicut et David dixerat ex persona Patris ad Filium : *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculabis leonem et draconem* (Psal. xcix). Aspidem dixit mortem, basiliscum peccatum, leonem antichristum, draconem diabolum.

#### HIERONYMUS IN EODEM LIBRO <sup>e</sup>.

*Multiplicans multiplicabo tristitias tuas et gemitus tuos* (Genes. iii, 16). Pro tristitia et gemitu in Hebreo dolores et conceptus habetur, et ad virum conversio tua. Pro conversione Aquila societatem, Symmachus appetitum vel impetum transtulerunt.

#### ALIBI ISIDORUS <sup>f</sup>.

De poena autem mulieris quid significet quod ei dicitur, in dolore paries filios, nisi quia <sup>g</sup> voluntas carnalis cum aliquam malam consuetudinem vult vincere, patitur in exordio dolores, atque ita per meliorem consuetudinem parit bonum opus quasi filios. Quod vero adjectit : *Et conversio tua ad virum tuum, et ipse tui dominabitur*, hoc significat, quod illa voluntas carnalis, quam cum dolore reluctaverat, ut faceret consuetudinem bonam, jam ipsis eruditis doloribus, cautior sit, et ne corruat, obtemperat rationi, et libenter servit quasi viro jubenti, vocaturque dehinc mater vivorum, id est recte factorum, quibus contraria sunt peccata que nomine mortuorum significantur.

*Adæ vero dixit : Quia audisti vocem uxoris tuae plus quam me, maledicta terra in opere tuo, in labribus comedes eam cunctis diebus vitaे tuæ, spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terre*. Et reliqua usque Terra es et in terram ibis (Gen. iii, 17).

#### HIERONYMUS <sup>h</sup>.

*Maledicta terra in operibus tuis*. Opera hic non ruris colendi, ut plerique putant, sed peccata significant, ut in Hebræo habetur, et Aquila non discordat dicens, *Maledicta humus propter te*, et Theodosius, *Maledicta Adama in transgressione tua*.

#### GREGORIUS.

*D. Maledicta terra in opere tuo*. Cum maledictionis jaculum divina vox gravi astruat ultione plectandam,

<sup>e</sup> Quæst. Hebr.

<sup>f</sup> Ibid.

<sup>g</sup> Editi, hic et infra, voluntas.

<sup>h</sup> Quæst. Hebr.

ita ut regni quoque coelestis aditum claudat, quid est quod nunc, peccante homine in terræ maledictione, divina voce hoc quod homo facere prohibetur, infertur?

**M.** a Sciendum est quod Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat. Aliud videlicet quod approbat, aliud quod damnat. Alter enim maledictum profertur iudicio justitiae, alter livore vindicte. Maledictum quippe iudicio justitiae ipso homini peccanti prolatum est cum audivit: *Maledicta terra in opere tuo* (Gen. iii, 17). Maledictum justitiae iudicio profertur, cum ad Abraham dicitur: *Maledicam maledicentibus tibi* (Gen. xii, 3). Rursum quia maledictum non iudicio justitiae, sed livore vindicte promitur, voce Pauli prædicantis ammonemur, qui ait: *Benedicite et nolite maledicere* (Rom. xii, 14). Et rursum: *Neque maledici regnum Dei possidebunt* (I Cor. vi, 10). Deus ergo maledicere dicitur, et tamen maledicere homo prohibetur, quia quod homo agit malitia vindictæ, Deus non facit nisi examine et virtute justitiae. Nam et sancti viri cum maledictionis sententiam proferunt, non ad hanc ex voto ultionis, sed ex justitiae examine erumpunt. Intus enim subtile Dei iudicium aspiciunt, et mala foras exsurgentia quia maledicto debeat feriri se cognoscunt, et eo in maledicto non peccant, quo ab interno iudicio non discordant. Hinc est quod Petrus in offerente sibi pecunias Simonem, sententiam maledictionis intorsit dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem* (Act. viii, 20). Qui enim non ait *est*, sed *sit*, non indicativo sed optativo modo se hæc dixisse signavit. Hinc Ielias duobus quinquagenariis ad convenientibus dixit: *Si homo Dei sum, veniat ignis de cælo et consumat vos* (IV Reg. i, 10). Quorum utrumque sententia quanta veritatis ratione convaluit, terminus causæ monstravit. Nam et Simon æterna perditione interiit, et duos quinquagenarios desuper veniens flamma consumpsit. Virtus enim subsequens testificatur qua miente maledictionis sententia promitur. Cum enim et maledictionis innocentia permanet, et tamen eum qui maledicunt usque ad interitum maledictio absorbet, ex utriusque partis sine colligitur, quia ab uno et intimo iudice in reum sententia sumpta jaculatur.

**ISIDORUS b.**

Jam vero per sententiam, quæ in virum infertur, ratio nostra arguitur, quæ et super peccati concupiscentia seducta, a paradiso beatitudinis remota, habet maledictiones terrenæ operationis, habet et dolores temporalium curarum, quasi spinas et tribulos. Sic tamen dimittitur a paradiso beatitudinis, ut operaretur terram, id est ut in corpore isto labore, et collocet sibi meritum redundi ad vitam beatam, quæ paradisi nomine significatur; possitque aliquando manum porrigeret ad arborem vitae et vivere in æternum. Manus autem porrectio bene significat crucem

a Greg., lib. iv Moral., cap. 3.

b Comm. in Gen., cap. 5.

**A** vel cruciatum poenitentie, per quam vita recuperatur æterna. Sequitur.

**GREGORIUS c.**

*Terra es et in terram ibis* (Gen. iii, 19), primus namque homo ita conditus fuit ut manente illo deciderent tempora, nec cum temporibus ipse transiret. Stabat ergo in momentis recurrentibus, quia nequam ad vitæ terminum per dierum incrementa tendebat. Stabat tanto robustius, quanto semper stanti ardenter inhærebat; at ubi vetitum contigit, mox offenso Creatore cepit ire cum tempore, unde ei dictum est: *Terra es et in terram ibis*, statu videlicet immortalitatis amissio, cursus euin mortalitatis absorbuit, et dum a juventute ad senium, a senio traheretur ad mortem, transeundo didicit quid stando fuit. Cujus nos quia de propagine nascimur, radicis amaritudinem quasi in virgulto retinemus. Jam quia ex illo originem ducimus, ejus cursum nascendo sortimur, ut eo ipso quotidiano momento quo vivimus incessanter a vita transeamus. Et vivendi nobis spatium unde crescere creditur inde decrescat. Quia dum infantia ad pueritiam, pueritia ad adolescentiam, adolescentia ad juventutem, juventus ad senectutem, senectus transit ad mortem; cursus vitæ præsentis ipsis augmentis ad detrimenta impellitur, et inde semper deficit, unde se proficere in spatium vitæ credit. Fixum etenim statum hic habere non possumus, ubi transituri venimus. Atque hoc ipsum nostrum vivere quotidie a vita transire est. Quem videlicet lapsum primus homo ante culpam habere non potuit, quia tempora eo stante transibant, sed postquam deliquerit, in quodam se quasi lubrico mutabilitatis posuit; et quia cibum comedit vetitum, status sui protinus invenit defectum.

**HIERONYMUS.**

*Et vocavit Adam nomen uxoris suæ Èva, eo quod mater sit omnium viventium* (Gen. iii, 20). Èva quippe vita interpretatur, sive calamitas, de quo poeta [Prudentius] ita cecinit:

*Èva columba fuit, tunc candida, nigra deinde.  
Facta per angurium malesuada fraude venenum.  
Tinxit et inuocuum maculis sordentibus Adam.  
Dat nudis fœcula draco mox tegmina vitor.*

**D** Fecit quoque Dominus Deus Adam et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos, et ait: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Nunc ergo videte, ne forte mittat manum suam et sumat etiam de ligno vite et comedat, et vivat in æternum* (Gen. iii, 21).

**AUGUSTINUS.**

**D.** Cum Deus unus sit, dicente Scriptura: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est*: quomodo hic dicit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est?* nobis enim pluralitatem insinuat.

c Lib. xxv Moral., cap. 3.

**M.** <sup>a</sup> Deus enim quamvis unus sit, tamen Trinitas est, Pater scilicet, et Filius, et Spiritus sanctus. Unus ex nobis dictum est, propter pluralitatem personarum, sciens bonum et malum: ac si diceret, Sicut nos scimus inter bonum obedientiae et malum inobedientiae, ita nunc Adam intelligit quia non solum non fuit factus qualis fieri debuit, sed nec quod factus fuerat conservavit. Accepit etiam tunicam pelliciam divino nutu, quo indumento corporis mortaliitas significari solet in historia. In allegoria autem a carnalibus sensibus abstractæ voluptates, quæ carnaliter viventem divina lege consequuntur et contingunt, quasi aliquando ad Deum converteret, possitque aliquando manum porrigeret ad arborem vite, id est ad Christum, et vivere in æternum.

**Ejecitque Adam Dominus Deus de paradiſo, ut operaretur terram de qua sumptus est, collocavitque ante paradiſum voluptatis Cherubim, flammœum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vite<sup>B</sup> (Gen. iii, 24).**

<sup>a</sup> Aug. de Gen. ad litt., lib. xi, cap. 59.

<sup>b</sup> Quæst. Hebraic.

A

HIERONYMUS <sup>b</sup>.

Non <sup>c</sup> ut alii putant quod ipsum Adam quem ejecerat, Deus habitare fecerit contra paradiſum voluptatis. Sed quod, illo ejecto, ante fortes paradiſi cherubim et flammœum gladium posuerit ad custodiendum paradiſi vestibulum, ne quis possit intrare.

ISIDORUS <sup>d</sup>.

Per flammœam frameam, id est per temporales tribulationes peccata sua agnoscendo et gemendo, et per cherubim, id est plenitudinem scientie, quæ est charitas, perveniet ad arborem vite Christum, et vivet in æternum. Cherubim namque plenitudo scientie interpretatur, framea vero versatilis posita ad custodiendam viam ligni, vite temporales, ut diximus, poenæ intelliguntur. Nemo enim potest pervenire ad arborem vite, nisi per has duas res, tolerantiam videlicet molestiarum et plenitudinem scientie, id est per charitatem Dei et proximi, plenitudo enim legis charitas.

<sup>c</sup> In editis desiderantur hæc verba, ut alii putant.

<sup>d</sup> Isid., comment. in Gen., cap. 5.

ANNO DOMINI DCCXCVII.

## ADRIANUS PAPA I.

## ADRIANI PAPÆ I VITA.

[Ex Mansi ampl. Conc. Collect.]

Adrianus, natione Romanus, ex patre Theodoro, de regione Via Lata, sedet anno 23, menses 10, dies 47. Vir valde præclarus et nobilissimi generis præsapia ortus, atque potentissimis Romanis parentibus

Ceditus, elegans et nimis persona decorabilis, constans, etiam atque fortissimus orthodoxæ fidei, ac patriæ suæ et plebis sibi commissæ defensor. Viriliter cum Dei virtute inimicis sanctæ Dei Ecclesiæ

**A**drianus. Anno Redemptoris nostri 772, mensis Februarii die nono, summa omnium concordia, ex cardinali diacono, prout constitutum erat, Adrianus civis Romanus, nobili progenie natus, qui pietati a teneris assuevisset, ideoque a Paulo in numerum cleri, a Stephano in numerum cardinalium ascitus fuisset, omnium consensu in pontificem electus fuit. Initio pontificatus relegatos ab exsilio, incarceratos et vinculatis et carceribus liberavit. Desiderio regi Longobardorum per legatos amicitiam et pacis confederationem, quam petebat, principio negavit, utpote qui bis perjurus factus inita pacis ac concordiae fœdera rupisset; sed cum legati suam quoque fidem jurato interponerent, petitioni illorum detulit, concedendo id quod instanter expetebant. Sed legatis vix ab urbe dimisis, nuntiatum est quod Desiderius ducatum Ferrarensem et Ravennatem exarchatum, aliasque urbes a Francorum regibus sedi apostolicæ donatas invasisset, quodque urbis Ravennæ obsidionem pararet. Quare misso ad illum Paulo cubiculario, munitiones quas invaserat, sibi reddi postulat; ille vero non aliter id futurum respondit, quam si ipse pontifex ad se veniret, scilicet ut hac occasione filii Carolum, reges Galliæ con-

D secrarentur, atque ita seditione inter Gallos mota, ipse interea totam Italianam Longobardorum regno subjugaret. Sed cum Paulus cubicularius de nece Sergii accusatus, Leone archiepiscopo procurante, contra mandatum et voluntatem Adriani papæ, per sententiam judicis interfactus esset, adeoque de accessu ad regem nihil pontifex innotuisset, Desiderius ipse suos misit Romam legatos, qui intentione regis eadem qua supra, papam ad se perducerent. Pontifex ista legatione invitatus respondit se venturum ad regem post direptas et injuste invasas urbes Ecclesiæ Romanæ restitutas. Addit legationem suam que suo et totius Ecclesiæ nomine urbes et jura occupata recipere. Sed cum rex sacrilegus, ad sui totiusque regni Longobardorum internectionem pergens, oblatam conditionem non modo non acceptaret, verum etiam urbis Romæ obsidionem minaretur, pontifex sanctissimus, urbe interim munita, legationem maritimam misit ad Carolum regem Francorum, ut exemplo patris Pippini contra Longobardorum infestationem Romanam Ecclesiæ defendat. Subvenisset utique periclitanti Ecclesiæ rex piissimus, si non illum fraudulenta Desiderii per legatos de restitutis Romanæ